



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Controversia IX. De actibus voluntatis imperantibus alios actus eiusdem
potentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

adequatè illuminata. Consequentia facilem probationem habet. Actus intellectus tantum prærequiritur ad actum voluntatis, ut replicatio obiecti & illuminatio potentie: ergo posito actu, in quo consistit hæc applicatio, & illuminatio potentie nullus alius requiritur: ergo præ apprehensionem vel iudicium nullus alius actus intellectus prærequiritur ad volitionem.


6 Respondent nonnulli, requiri imperiū ad electionem ut influet potentia volitivā intentionem præcedentē, quæ insinuat necessaria est ad electionem, & non fit neque per apprehensionem, neque per iudicium, quibus potest cognosci ratio boni, aut mali in obiecto reperta. In primis hæc solutio aliquantū recedit à cōclusionē, supponit enim imperium non requiri ad intentionem, sed tantum ad electionem. Sed neque hanc requiri, & hanc imitationē esse superfluum ad electionem faciendam probo. Eō præcisē quod voluntati proponatur utilitas mediæ & conducen-
tia, quam habet ad finē, & illius necessitas ad obtinendum finem, est sufficienter præuenta, ut nō possit finem non eligere suppositā intentione, quia ex vna parte obiectum est sufficienter propositum, ut voluntas possit illud amplecti, ex alia cognitio necessitatis, & intentio præhabita supposita potentia ad eligendū medium sufficienter ut necessitatem valeant inducere: ergo ad electionem actus necessariū faciendam non prærequiritur tale imperium. Dices, prærequiri adhuc insinuationem ipsius intentionis, quæ non includitur in cognitione utilitatis, & necessitatis mediæ. Contrariū hæc insinuatō requireretur tantū deberet consistere in cognitione ipsius intentionis insinuatæ, non in actu imperij respectu mediæ, non enim intentio posset insinuari per actum respicientem medium, & non ipsam: ergo ex omni capite superflue ponitur talis imperij actus.

7 Dico tertio: Si tale imperium daretur, omnino libertatem voluntatis everteret. Conclusionē doctē, & solidē insequitur Suarez suprà in hunc modum. Posito tali imperio nulla est indifferentia in voluntate, quia talis est natura, ut non possit non coniungi cum actu, quod ita verū exultimat Med. cit. dubio 2. ut asserat stante imperio efficaci ex parte intellectus nullam restare libertatem in voluntate ad contradicendum, additque imperium non habere hanc efficaciam à voluntate, quia cum non sit in infinitum abeundum, necessariū perveniendum est ad aliquod imperiū intellectus antevergens omnē actionem voluntatis, quod hanc efficaciter rapiat ad operandum, ex quibus sic arguo contra Medinam, & omnes, qui illi cōsentiant. Posito hoc imperio nulla est libertas in voluntate, hoc imperium est ante omnem actum voluntatis: ergo ante omnem actum voluntatis supponitur id, quo posito nulla est libertas: ergo nullus actus voluntatis liber esse potest: duas partes antecedentis desumpsi ex Medina duas illationes factas exultimo apud omnes fore magni roboris.

8 Respondet Iuellus 9. Metaphys. q. 4. hoc imperium liberum esse respectu voluntatis, & ita actum ex illo necessariū illatum posse libertate gaudere. Recedit solutio à Thomistarum doctrina, & in maiores incidit difficultates, si actus imperij liberè debet supponere actum voluntatis, hic actus voluntatis aliud imperium, & ita in infinitum abeundum, vel deveniendum ad aliquem actum voluntatis, qui ab imperio non dependeat ad actum imperij necessariū, quod bene novit Medina, qui ne in hanc difficultatē incideret falsus est hoc imperium antevertere omnē actū voluntatis, & illo posito nullam manere libertatem in voluntate, non sine magna humanæ libertatis iactura. Deinde etiamsi imperium liberum esset, actus quando ab illo necessariū oritur, in se non esset liber, sed liberate imperij secundariū, & derivatiū, sicuti electio orta ex intentione libera efficaci in se libera non est, ut probabo in anima Controv. 10. Punct. 3. Plures alias solutiones, & plurima alia argumenta possem adducere contra hanc sententiam. Vide quæ contra omnem prædefinitionem antecedentem nostri Authores adducunt, quæ omnia æquē contra hoc imperium adduci possunt, illa iterum recognosce, quibus poteris uti ad imperium impugnandum.

9 Si velim fundamenta euellere, quibus hoc nititur imperium, vix vllum inuenio. Primum peti solet ex auctoritate Aristotelis, apud quem neque relatum ab aduersariis vllum testimonium inuenio, quod quidquam difficultatis præ se ferat. Legatur P. Vasquez disput. 59. citatā, cap. 5. ubi mentem Aristotelis doctē interpretatur. Circa mentem D. Thomæ lege nostrum Ruizium disput. 3. de providentia,

sect. 7. à n. 8. ubi probat Angelicum Doctorem nullum posuisse actum imperij in intellectu distinctum à iudicio enunciativo, & in hoc consistere actū imperij iuxta auctoritatem sancti Doctoris, probat ex illius testimonio, & ex interpretatione Conradi nobilis rati Præceptoris Discipuli. Probat similiter nostrum Ruizium multis Scripturæ testimoniis, actum imperij verbo Indicatio significari. Quod si ita imperium constituitur faciliè illud admittam respectu volitionum efficacium, quas iudiciū de bonitate obiecti, saltem ut in plurimum præcedere verum est, vnum tamen Thomistis non concedam, quod Angelicus Doctor minime docuit, videlicet actum illum imperij talis esse naturæ, ut illo posito, nulla in voluntate indifferentia remaneret, hoc enim absque omnimoda libertatis iactura conceditur; voluntas enim indiget iudicio, ut possit proprium actum elicere, non verò iudiciū illud prærequiritur voluntatem determinat, sed voluntatem constituit potentem se determinare, & ita requiritur iudiciū ut voluntas se ipsam determinet, non verò, ut illud voluntatem prædeterminet, quod pulchrè dixit Bernardus libro de gratia & libero arbitrio, his verbis, *Est ratio data voluntati, ut insinuat illam, non ut destruat; destrueret autem, si necessitatem illam imponeret, quo minus pro arbitrio suo sese volueret.* In confirmationem huius doctrinæ docuit Salas 1.2. tit. 6. disp. 2. sect. 1. a. ex Viguerio, quem ipse refert imperium directivum pertinere ad intellectum, & motivum ad voluntatem.



CONTROVERSIA IX.

De actibus voluntatis imperantibus alios actus eiusdem potentia.



M N I A quæ in hac materia continentur purè sunt Philosophica, quia tamen Theologis valde necessaria sunt illis disputanda commendant Philosophi; ego tamen illa non omitram hac de causa, munus enim Philosophi est Theologo ministrare illa quæ intra Philosophiæ obiectum continentur.

PUNCTUM PRIMUM.

De imperio reflexo circa actum singularem.

§. I.

Status questionis.

Omnium potentiarum Regina voluntas, quæ aliis imperat, & determinat ad proprios actus, cui potentia externæ præstō obediunt, ut primum enim voluntas dicit, *volo deambulare*, potentia loco motiva suum exercet officium & voluntati obedit, & intellectus in omnibus, in quibus sufficiens motivum habet ad assentiendum, vel dissentiendum, & rei evidentia ad aliquem actū non adducitur, voluntati obedit, & ad imperium illius assensum dicit, vel dissensum simile imperiū exercet voluntas, respectu suorum actuum, quādo per vnum actum alium sibi imperat, ut cum dicit, *volo elicere actum contritionis*, contritionis actus imperatus dicitur; ille verò alius actus reflexus quo dicit voluntas, *volo elicere contritionem*, imperans appellatur.

De ratione actus imperati est ab imperato procedere, & de ratione imperantis in imperatū influere, inde imperans & imperatus se habent tanquam causa & effectus. Addit Ripalda de ratione imperati esse ordinatū in finem operantis, & hac ratione dicitur illi servire, ita ut omnis actus voluntatis ab alio procedens, & in illius finem ordinatus imperatus dicitur. Non placet hic philosophandi modus, quia sæpè actus imperans tanquam finem respicit ipsum imperatum, sæpè enim quis dicit, *volo elicere contritionem* propter excellentiam ipsius actus nullo alio fine inspecto, quæ finem non inspicit contritio, quæ tantum respicit destructionem peccati propter Deum offensum. Secundo, electio mediōrum dependet ab intentione, & in illius finem ordinatur, &

& tamen intentio non vocatur actus imperans respectu electionis, neque electio imperata dicitur respectu intentionis. Actus imperatus proprie solum appellatur, illi qui ab alio actu reflexo voluntatis dependet, sed de hoc nomine tenus potest esse questio, si enim dicamus actum reflexum tantum posse dici imperantem, insurgeret questio, an vnus actus directus possit oriri ex alio directo ad cuius finem cōducit, siue hoc sit per influxum imperantis in imperatum, siue per aliam dependentiam causæ ad effectum.

3 Duplex est imperium vnum efficax, inefficax aliud; imperium efficax aliter dicitur, ac cogitatio efficax appellatur, quia inter cogitationes, quæcumque effectum habet, etsi potuerit illum non habere, efficax dicitur, quod ex se effectum habet tali modo sibi connexum, vt illum non possit non habere; imperium autem quod sine effectu, ad quem potentia est in actu primo completa, potuit esse etiam si de facto illum sortitur, inefficax dicitur, quia illius efficacia non desumitur ab effectu, sed à sua natura. Rursus imperium est duplex reflexum, & directum. Imperium reflexum consistit in actu respiciente alium actum eiusdem voluntatis tanquam obiectum; imperium directum, est actus qui directè tendit in obiectum externum, in cuius ademptionem, internus alius actus conducere potest, v.g. amat quis bonitatem diuinam, & ex hoc amore immediatè mouetur ad actum misericordie, qui nouit maxime conducere hoc opus ad obiectum prius amatum, v.g. ad obsequium præstandum bonitatis diuinæ.

4 Actus reflexus triplex potest respicere obiectum, primum est actus determinatus & singularis: secundum est actus indeterminatus sed particularis: tertium, actus confusus, & quasi vniuersalis, exempli gratia, dicit quis volo elicere contritionem, hic actus respicit obiectum determinatum & singulare, si autem dicat, volo elicere actum misericordie vel iustitiæ, hoc obiectum est singulare sed indeterminatum, dicit vnum singulare, sed sub distinctione inter duo. Tandem si dicat, volo elicere actum virtutis immemor alius speciei in particulari, & tantum memor virtutis vt sic in communi.

5 Item actus reflexus qui fertur in actum particulatam & indeterminatam, v.g. volo elicere actum iustitiæ vel charitatis, dupliciter potest respicere obiectum indeterminatum. Primo, quia rectè inspecta natura actus iustitiæ & misericordie vterque actus placet voluntati, nepter tamen adeo illi gratus est vt ex vi illius voluntas illi alteri præferat, sed dicat, elicet alterum ex his actibus, ac si diceret, neutrum horum exercere mihi molestum erit, quia tamen non duos actus exercere volo, quemcumque ex his assumam. Alio modo potest dicere voluntas: volo facere hunc vespillum, non se potius ad hunc quam ad illum determinando, quia vtriusque vel saltem alterius naturam nondum rectè perspicit, habet, & expectat rectam & adæquatam notitiam illius, vt potius hunc eligat, quam illum ne minus vtilem vel magis arduum illius naturam ignorans eligat.

6 Duplici etiam modo potest ferri actus reflexus in rationem communem actus, nulla cognita specie, vel non determinatâ materia. Primo, in rationem illam communem exercendam tantum in aliquo individuo, v.g. actus, quo quis dicit, volo elicere actum virtutis, ac si diceret, volo elicere aliquem actum ex pluribus honestis, qui fieri possunt. Secundo modo potest ferri in rationem illam communem exercendam in omnibus indiuiduis illius, vt si quis diceret, volo adimplere legem Dei, seu volo elicere actus externos mihi præceptos, non cogitando de hoc neque de illo singulari, quia nullus actus præceptus in particulari tunc memorie occurrir. Tandem hi omnes actus reflexi possunt respicere actus positivos & possunt tendere in liberas omissiones. Potest vltimò considerari volitio inclinans voluntatem ad aliam volitionem circa idem formale motiuum cum diuerso obiecto materiali saltem inadæquatè, v.g. amor Dei propter ipsum, ad amorem proximi propter Deum. De his omnibus examinandum est an actus possint inter se imperari.

§. II.

Statuuntur actus reflexi voluntatis imperantes alios actus eiusdem potentie.

7 Negat Vasq. 1.2. disp. 51. c. 5. posse vnum actum voluntatis alium immediatè imperare, & esse causam illi. Francisc. de Ouedo Philosoph. Tom. II.

lius per modum imperij, & consequenter affirmat actum reflexum tantum comitanter se habere respectu directi, quem respicit, vel tantum actum reflexum ad directum elicendum conducere quatenus illum determinat ad motiua inuestiganda, quæ voluntati applicata illum inclinent ad actum directum reflexè volitum.

Afirmatiuam partem tuerentur P. Suarez 1.2. disp. 10. de actibus imperatis sect. 1. & de bonitate actus interioris disp. 6. sect. 3. P. Salas 1.2. lib. 7. disp. 3. sect. 16. P. Egid. Corninch. 2.2. disp. 27. n. 11. P. Valentia P. Azor, Tann. Alenf. Altiñod. Capr. Almai. Caiet. Theo. Conrr. & Lorca apud Ripaldam de ente supernaturali disp. 65. sect. 3. longam istam Theologorum manum ducat S. Th. 2.2. q. 124 art. 21. ad 23. & 1.2. q. 13. art. 1. & q. 19. art. 2. ad primum, vbi hac habet: *Quantum ad actum voluntatis, non differt bonitas quæ est ex obiecto, à bonitate quæ est ex fine: sicut in actibus aliarum virtutum, nisi forte per accidens prout finis dependet ex fine, & voluntas ex voluntate.* Quibus verbis expressè docet actum voluntatis immediatè pendere ex alio diuerso modo, atque electio pendet ex intentione, quia tunc non pendet finis ex fine, sed medium ex fine, hac autem docet finem pendere ex fine, quod nisi per imperium fieri nequit.

Abstineo à rationibus Theologicis, quas pro hac conclusione adducit Ripalda, & intra Philosophiæ terminos hanc conclusionem probo. Actus voluntatis quo ego dico, volo elicere actum amoris, conducit ad hunc actum amoris faciendum, vt fatetur Valquez, & nullus negare potest, si enim non conducunt, æquè expectarem actum amoris ab homine, qui modò habet voluntatem illum elicendi, & ab illo qui nunquam de tali obiecto cogitauit, neque fundamentum haberemus ad expectandam sacramentalem confessionem ab homine qui firmiter statuit se per hoc sacramentum propriam animam expiaturum, neque peccatorem hortaremur, vt statuât sibi plures actus virtutis exercendos, intendentes hunc hominem illos exercere, quandoquidem actus quibus modò id statuitis, non conducunt ad praxim aliorum interiorum, quam respiciunt tanquam proprium obiectum, quod concedere valde temerarium est & absurdissimum esset, sed nullo alio modo melius potest conducere, quam immediatè imperando suum obiectum: ergo hoc modo & non alio conducit. Si probetur minor, discursus vndique firmus erit, sic illam statuo. Actus imperans nullo alio modo potest influere in imperatum nisi per immediatum imperium modo explicando Punct. 3. vel excitando nouas rationes applicando motiua voluntati vt actum imperatū eliciat, vt vult Valq. neque alius modus quo conducatur actus reflexus ad directum huiusque inuētus est, sed non conducit per applicationem motiuorum: ergo, immediatè non conducere applicando motiua sic probo. Actus, quo ego dico, volo amare Deum, vel mouet voluntatem, vt eliciat actum imperatū intellectui nouam inquisitionem motiuorum ad amorem vel immediatè mouet ipsum intellectum ad hanc inquisitionem faciendam, si intellectum applicat ad illam medio actu voluntatis: ergo actus voluntatis, quo ego dico, volo amare Deum, immediatè inclinat voluntatem ad actum, quo dicit, volo indagare motiua ad amandum Deum: ergo potiori ratione poterit eandem voluntatem inclinare ad ipsum amorem ad quem est iam proximè potens, & sufficienti motiuo præuenta: si enim actus voluntatis ad alium potest immediatè mouere, ad nullum potiori ratione quam ad illum, quem habet pro obiecto. Secundo probo voluntatē non posse media alia volitione applicatè intellectū, ad inquisitionem motiuorum: sepe cum quis motiuum habet ad amandum Deum, & ad hunc amorem reflexè amandū propter excellentiam illius, non cogitat de inquisitione aliorum motiuorum, neque aliquid cognoscit præter illa motiua ad amandum Deum amore, directo, & ad intendendum hunc amorem directum alia volitione reflexa; ergo non potest habere actum quod dicat, volo querere alia motiua ad Deum amandū, non enim potest ferri voluntas in inquisitionem mediorum, quæ non cognouit. Tertio, sepe potest voluntas cognita bonitate Dei & cognita bonitate actus amoris versantis circa hanc bonitatem elicere actum reflexum quo dicat, volo propter meam iustificationem elicere actum amoris respicientem tanquam formale motiuum bonitatem Dei, tum impertinens erit inquisitio aliorum motiuorum, cum actus imperatus tantum sit elicendus propter bonitatem Dei, quàm iam intellectus cognouit, quod contingit quotiescumque voluntas imperat

imperat actum amoris Dei qui necessariò respicit hoc motuum, & non aliud. Dici poterit tunc voluntatem non determinari ad novum motuum inquirendum, sed ad idem vivaciùs perfectiori cognitione applicandum. Contra hanc solutionem facit argumentum suprà factum, quia raro vel ferè numquam cogitat intellectus de hac vivaciori & perfectiori cognitione, quàm motuum applicetur. Deinde impugnatur, quia durum est dici cum eisdem motu ad amandum non esse fundamentum maius ad amorem directum sperandum ab homine, qui actu reflexo dicit, volo amare, quàm ab alio, qui numquam talem actum reflexum habuit.

10 Hæc vltima ratio probat voluntatem reflexam non conducere ad volitionem directam tantum determinando immediatè intellectum ad hanc inquisitionem, deinde quia intellectus sæpe sæpius nulla habet principia ad perfectiorem cognitionem habendam, de motu proposito ad amorem directum, neque ad alia motu perscrutanda: ergo volitio reflexa non poterit conducere ad volitionem directam medià hac inquisitione & inventionem novi motui, neque medià vivaciori cogitatione eiusdem. Vltimò sic arguo: volitio reflexa tendens in Dei amorem, non habet pro obiecto inquisitionem motui ad amandū Deū, neque connexionem habet cum illa nova inquisitione, quorsum ergo ad illam intellectus determinabitur tali volitione reflexa? Dices determinari hac volitione, quia talis inquisitio conducent est ad obiectum ipsius volitionis. Contra: volitio in opinione contraria non determinat, neque inclinat ad suum obiectum: ergo minùs poterit inclinare seu determinare ad id quod conducit ad tale obiectum: vel si volitio reflexa determinat ad id, quod conducit ad suum obiectum, licet illud non habeat pro obiecto, neque aliqua ratione sit cum illo connexum, potiori ratione determinare & inclinare poterit ad proprium obiectum, videlicet ad volitionem reflexam. Respondetis posse determinare ad id, quod conducit ad volitionem directam, quia est quid pertinens ad aliam potentiam voluntati subditam, non tamen posse determinare ad volitionem, quam habet pro obiecto, quia talis volitio pertinet ad ipsam voluntatem, quæ ipsa sibi subdita non est, neque tenetur obedire imperio sui ipsius. Contrà: imperium ex natura sua non efficit neque necessariò connexum cum actu imperato libertatem potentie exercentis actum imperatum illam relinquit, & actum imperatum liberum servat: ergo ex eo quod voluntas libera sit non infertur repugnantia actus natura sua non efficit. An inferatur repugnantia actuum ex se efficacium §. sequenti, explicabo. Diceret aliquis de modoloquendi nimis scrupulosus, hos actus reflexos inclinentes potentiam voluntatis ad actus directos saluà illius libertate, propriè non esse dicenda imperia, sed potiùs preces, seu petitiones, siquid illis positis potest voluntas libera, nullius iure læso, & absq; alicuius iniuria tales directos actus nò elicere, est autem de ratione imperij aliquo modo obligare ad id, quod imperatur, ita ut physice, vel saltem moraliter, hoc est, iure, contra illud fieri nequeat. Sed hæc differentia tantum est de nomine, & standum est communi Theologorum loquendi modo, qui hos actus reflexos imperantes, etsi ex natura sua non efficit, imperia hucusque appellavit.

11 Obiic. pro sententia Patris Valsq. D. Thom. 1.2. q. 18. a. 6. ad 2. vbi hæc habet: *Dicendum quod ordinari ad talem finem, etsi accidat exteriori actui: non tamen accidit actui interiori voluntatis, qui comparatur ad exteriorem sicut formale ad materiale.* Ex quibus verbis sic potest argui: Actus interior nò ordinatur ad finem ab alio actu interiori, sicut ordinatur exterior: ergo non imperatur actus interior sicut imperatur exterior, quia si imperaretur ab aliquo, ab illo ordinaretur in finem, non enim alià ratione exterior ordinatur ad finem, nisi quia ab interiori imperatur. Resp. D. Thom. in præsentia distinctione assignare inter actus internos & externos ex eo quod actus interni intrinsecè sèper finem respiciunt, què non possunt non respicere, actiones verò externæ nullum intrinsecum finem habent, sed tota ordinatio illarum in finem extrinsecè illis accidit ex exteriori actione derivata.

12 Obiic. secundò. Ex eo differunt actus interni, & externi, quod interni finem intrinsecum habet propriamque libertatem, externi verò tantum habet finem extrinsecum, & libertatè ab actu interno derivatam: ergo quamvis actio exterior possit sumere moralitatè ab imperante, interior nullam poterit ab illo participare. Resp. actum externum di-

stinguì ab interno, quia externus capax non est libertatis immediate, & non nisi medio interno imperante finem respicit; hoc tamen non infertur non posse actum internum imperari ab alio interno, & medio quo finem extrinsecum respiciat distinctum à fine intrinsecò quem per se respicit.

Obiic. tertio. Actus internus potest imperari ab alio ergo actus contritionis poterit imperari ab alio ergo poterit vitari, & malitià habere. Hæc obiectio Theologi pungit ad Philosophum; huius enim tantum est intra limites philosophiæ cuiuslibet effectui proprias assignare causas, illius verò derivationem bonitatis, & malitiæ constituere tali modo ut malitià nihil polluat quod ab illa mundum esse debeat; ne tamen terreat aliquem ex Philosophis obiectio peregrina. Resp. iuxta varias Philosophorum sententias posse consequentiam negari, & iuxta aliorum mentes abque inconuenienti concedi: illorum in hac re mentes breviter attingam. Hurt. 2.2. tom. 2. disp. 13. sect. 6. §. 27. respondet actum vitiosum non posse imperare actus charitatis, quia virtutes per se infuse pendent à gratia Christi, & non parent vitio, idem in doctrina Patris Valsq. respondendum est, qui docet 1.2. disp. 53. c. 5. n. 26. actum fidei vitari non posse, & tamen dependet ab imperio voluntatis. Cajetan. Banez. Lorc. 2.2. q. 23. art. 1. ad 2. non solum negat actum imperij convenire vitio in virtutem, sed etiam virtuti inferiori in superiorem, & ita in sententia horum Doctorum dicendum est, actum charitatis nullo alio actu posse imperari, siquidem nullus est illo perfectior. P. Coninch. 2.2. disp. 3. n. 121. affirmat posse vnum actum internum imperari ab alio, & extrinsecè in finem ordinari. negat tamen ab illo moralitatem desumere, vnde iuxta hanc sententiam possemus dicere actum contritionis imperatum ab actu vitioso nullam malitiam trahere ab imperanti. P. Ripalda disp. 65. sectione secunda, numer. 8. consequentiam admittit, & latè probat disp. 50. posse actum internum intrinsecè bonum vitari ex fine extrinsecò ratione actus imperantis.

§. III.

Statuitur imperium inefficax.

Statui dari actus imperantes in voluntate respectu aliorum actuum eiusdem potentie: indaganda est modò naturalium actuum, an videlicet hi actus imperantes efficitur sint ex natura sua, ita ut illis positis non possint non esse actus imperantes, si potentia sit cum omnibus prærequiritis ad tales actus imperandos eliciendos. An verò ita possint influere in actus imperatos ut possint etià non influere. An verò possint dari actus imperantes virtutis nature, quidam ex se efficitur, alij verò ex se inefficaces. Ne nomen efficitur fallat, scito, non dici imperium efficitur, eo sensu quo dicitur efficitur cogitatio, quæcumque enim cogitatio, quæ de facto effectum habet etiam si illum potuisset non habere, efficitur dicitur, & in hoc sensu imperium efficitur dici posse quodcumque de facto imperium sentitur, etiam si ex sua natura cum negatione illius componi posset, in præsentia autem alio sensu nostra difficultas intelligenda est, desideramus enim cognoscere, an actus imperantes necessarii habeant connexionem cum imperato necne: & ad hanc difficultatem tractandam, & reloluendam, imperium efficitur illud tantum vocamus, quod non potest non cum effectu connecti, & imperium inefficax, quod potest non connecti licet de facto cum illo coniungatur, in §. hoc imperium inefficax statuam, dicturus in sequenti de efficitur.

Triplex potest versari voluntas actu reflexo circa actum directum, 1. actu amoris stricti, quo illi placet bonitas illius secundum se, quin per hunc affectum illa alicui desideret. Secundò, actu complacentiæ quo gaudet de bonitate illa sibi possessa, & acquisita, quatenus illi bona. Tertio, actu desiderij, quo bonitas illa, quæ per amorem in se placet secundum se, desideratur in ordine ad subiectum, & illam mihi cupio, & hic actus dicitur actus desiderij. Nò procedet questio de actu amoris stricti, neq; gaudij, sed de actu desiderij, an videlicet possit dari desiderij inefficax seu non efficitur respectu actus voluntatis immediate influens in actum imperatum procedentem ab eadem voluntate.

Hurtad. disp. 138. sect. 1. & 2. negat hoc desiderium inefficax, seu hanc actum reflexum voluntatis posse influere in

in actum directum imperatum immediate ab illo procedentem, sed tantum posse influere tale desiderium reflexum inefficax per modum intentionis mouendo immediate ad alium actum reflexum electionis influentem in actum imperatum, v.g. desidero ego inefficaciter actum contritionis propter meam salutem consequendam; ex hoc desiderio inefficaci ex se potest oriri alius actus per modum electionis respiciens idem motum, quod respiciebat illa intentio inefficax, quod dicam efficaciter, volo elicere contritionem propter meam salutem, & talis actus ex se efficax erit & immediate influet in ipsam contritionem, quæ necessario ab electione procedit.

17 Oppositam veriore sententiam tenet Ripalda disput. 66. lect. 4. qui contra Hurtadum adducit testimonium Aug. lib. 8. conf. c. 9. cuius hæc sunt verba: Imperat animus, ut velit animus nec facit tamen. Vnde hoc modo irum, & quare illud non ex toto vult. Non ergo ex toto imperat, na in tantum imperat in quantum vult. Quibus verbis videtur expresse tradidisse Augustinus imperium ex se non efficax. Posset Hurtadus respondere Augustinum loqui de imperio per modum intentionis, quod ipse inefficax admittit, constituit enim intentionem ex se non efficacem, ex qua potest oriri, & non oriri electio. Resicitur tamen hæc solutio ex verbis eiusdem Augustini, ipse enim immediate dixerat: Imperat animus ut moueat manus, & tanta est facilitas, ut vix ad seruitutem discernatur imperium. Deinde annexit: Imperat animus, ut velit animus, &c. En loquitur Augustinus de imperio, quod habet animus respectu animi, id est, voluntas respectu proprii actus eodem sensu, ac loquitur de imperio, quo animus immediate mouet manus, quod imperium immediate mouet ipsam finem, & ad qua immediate procedit motus. Adde in communi modo loquendi intentionem non dici imperium electionis, sed actus ille dicitur imperium respectu actus voluntatis, qui reflexe immediate tendit in illum.

18 Ratione probatur eadem sententia. Datur intentio ex se non efficax, quæ aliquando moueat ad electionem, & possit de facto ad illam non mouere; ergo poterit dari actus reflexus, qui aliquando moueat ad directum, & possit voluntas aliquando ex vi illius pro sua libertate non moueri ad talem actum, sicut enim intentio immediate tendens in finem tanquam in obiectum amatum ponendam extra causam media electione, & positione mediorum, potest esse talis naturæ, ut eademmet possit pro libertate voluntatis mouere ad electionem, & positionem mediorum, & executionem finis, & ad nihil horum mouere, cur non poterit dari volitio reflexa amoris immediate potens ad amorem mouere eiusdem conditionis, cuius influxus dependeat à determinatione voluntatis?

19 Confirmatur: Actus voluntatis diuine quo liberè Deus concurret ad meam volitionem liberam, immediate est amor ipsius volitionis liberæ, qui ex se indifferens est ad concurrendum vel non concurrendum ad meam volitionem dependentem à mea determinatione, ut probò 2. Physicor. Contro. 10. ergo potiori ratione poterit actus propriæ voluntatis creatæ tendens in actum, ad quem potest conducere independentem à determinatione eiusdem voluntatis, facilius enim intelligitur concursus meæ volitionis dependere ab alia mea libera volitione quam volitionis diuine dependentem à mea volitione. Si dicas Deum ita velle meam volitionem dependentem à mea determinatione, ut mihi ius libertatis integrum relinquat, non contradicam, sed quid ad rem? cur ego non potero velle meam volitionem saluâ libertate volitionis reflexæ?

20 Confirmatur secundo: Voluntas potest absque actu imperante elicere actum imperatum seu reflexe volutuerge potest illum elicere ex vi eiusdem imperantis. Probo consequentiam. Velle elicere actum ex se voluntatem afficit circa talem actum volitum, & illam per se & formaliter inclinat ad illum elicendum; ergo si alius voluntas sit potens, talis actum elicere, quamuis minima & exilis sit inclinatio poterit, illa adinuari voluntas ad talem actum elicendum.

21 Tertio, Motus primò primi qui in voluntate insurgunt circa aliquod obiectum, illa inclinant, ut tale obiectum liberè amet, & hac ratione à SS. Patrib. hi motus respectu actuum conducentium ad meritum, gratia per Christum appellantur, & tamè non mouent efficaciter, sed saluâ libertate, quâ destruerent, si efficaciter mouerent: ergo potest dari actus voluntatis inefficaciter mouens ad alios actus. Nec valet responderi hos motus tantum mouere per modum electionis mediis aliis actibus reflexis, qui se habeant per

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I. I.

modum electionis; hoc enim est contra communem Theologorum sententiam. Deinde hoc admissio in eandem difficultatem incidit Hurtado, quia vel ille actus reflexus immediate mouens per modum electionis est ex se efficax, vel non: si dicat ex se non esse efficacem, iam concedit posse actum non efficacem ex se immediate influere in alium actum: si dicat esse efficacem destruit libertatem talis actus, quod absurdissimum est, quia sequitur nullum actum directum procedentem ab actu primo insurgente in voluntate esse liberum in se, sed tantum in electione, quæ reflexe fertur in illum.

22 Affinis est ratio præcedenti alia desumpta ex communi opinione Theologorum; id est, omnes actus meritorios imperari à charitate, in qua si omne imperium ex se esset efficax, omne imperium libertatem destrueret, & omnis actus esset necessarius, & consequenter nullus actus, qui non esset charitatis, meritorius esset iuxta communissimam sententiam, quæ tantum actum in se formaliter libero meritum tribuit, quod concedere durum sane est.

23 Vltima ratio sumitur à priori ex natura ipsius voluntatis, quæ talis est ut ipsa possit se determinare per volitionem liberâ allectâ & attractâ ab alio non prædeterminatæ, sed tantum inclinante ad actum saluâ libertate voluntatis, ut patet in cognitione obiecti indifferenter propositi, quæ inclinat voluntatem ad actum saluâ libertate ipsius voluntatis, ex vi cuius voluntas mouetur ad actum: ergo eodem modo poterit volitio inclinare ad aliam volitionem saluâ libertate volitionis, ad quam inclinat, & ferri in illam cum indifferenter, ad influendum de facto, vel non influendum dependenter à determinatione voluntatis, ita ut non solum volitio necessaria, sed etiam libera valeat imperari.

24 Nihil apud Hurtadum inuenio contra hanc conclusionem præter ea quæ obici possunt, contra omnes actus imperantes tam efficaces, quam non efficaces, neque aliquid momenti existimo posse adduci in suffragium sententiæ Hurtadi: si obicias actiones externas non posse dependere ab imperio inefficaci, sed necessario requiritur imperium efficax, & ex hoc inferas idem dicendum esse de actionibus externis. Respondeo facile actiones externas in se non esse liberas formaliter, ac proinde ut absolute sint, requiri ex parte actus primi absolutum determinatum, quod penitus absorbeat indifferenciam illarum ad existendum, vel non existendum, actiones verò internas voluntatis esse formaliter liberas, ac proinde posse voluntatem se ipsam per illas determinare, etiam si imperium, quod se tenet ex parte actus primi, absolute non eas determinet, sed tantum inclinet ad illas.

§. IV.

Statuitur imperium efficax voluntatis respectu actuum eiusdem potentie.

25 Actus efficaciter imperans dicitur ille qui talis est nature, ut eo posito non possit non esse actus imperatus, & necessario sit ille elicendus ex suppositione illius. In hoc sensu inquirimus an possit voluntas habere aliquem actum reflexum, qui illam necessario determinet ad actum, quem respicit tanquam obiectum; verbi gratia, an possit habere actum charitatis quo dicat, volo propter Deum summè beatum, elicere actum internum misericordie, qui quidem actus charitatis talis sit, ut illo posito non possit actus misericordie non elici à voluntate. Difficultas hæc, ut rectè notauit Suarez t. de gratia, lib. 11. c. 11. n. 10. locum inuenit quando voluntas dicit, volo hic & nunc actum misericordie, quia si tantum actus reflexus respiceret actum misericordie futurum, nullo modo posset voluntatem ad illum determinare, quia desiderium quod habeo de actu voluntatis creatinæ die faciendo, hic & nunc non virget, creatinæ autem die iam non erit, ac proinde non inclinabit ad actum per se ipsum, nisi mediâ sui cognitione, quæ nullum obiectum proponet necessario determinans voluntatem, quia potest hæc hodie decernere contra id quod heri efficaciter decreuerat; quod si actus heri elicetus adhuc dureret, poterit voluntas ab illo in instanti, in quo virget illius executio per ipsa decreta cessare, & ipsam, hoc est, actum imperatum omittere. Posset tamen procedere difficultas an possit voluntas permanere in illo actu reflexo tempore pro quo directum decreuerat, & talem actum directum omittere. Facilius tamen difficultas soluetur si procedat questio de actu voluntatis,

qui dicit, hic & nunc volo elicere actum misericordiae, qui in eodem instanti in quo producit, corrumpi non potest, ac proinde si ex sua natura efficax sit, necessarium actum misericordiae inferet.

24 Talem actum possibilem esse affirmat Ripalda disput. 66. sect. 2. Negat P. Vasquez 12. disp. 51. num. 36. actum imperantem ex se efficacem, quia tenet nullum actum imperantem voluntatis immediate influere in imperatum, cuius oppositum defendo. Sicut loco citato n. 11. id negat, quia impossibile iudicat actum imperantem antecederet ad imperatum, quo dicat voluntas, hic & nunc volo amare, quia cum ipsa potens sit amare, nullo alio modo melius amare vellet, quam ipsum amorem exhibendo, ac proinde talis actus reflexus superfluous est, nisi directum comitetur, vel subsequatur, per modum complacentiae, quia gaudeat de amore habito, & iam quasi possessio: si quid probaret haec ratio concluderet nullum actum reflexum voluntatis adhuc ex se non efficacem posse influere in suum obiectum, quod falsum esse satis ostendi. Quapropter respondeo voluntatem posse intendere & velle efficere per actum reflexum volitionem, quam elicere potest, quia ipsa volitio est amabilis & sufficiens terminare actum voluntatis ex se conducentem ad illam exercendam, licet ipsa posset sine tali intentione seu amore reflexo sui ipsius exerceri.

25 Probat hanc sententiam Ripalda: voluntas potest efficaciter imperare id quod est in sua potestate; sed actus contritionis est in sua potestate: ergo voluntas potest illum efficaciter imperare. Confirmatur: voluntas potest appetere efficaciter obiectum quod repraesentatur ut bonum & conducent ad finem intentum ab illa, & aliis est in sua potestate, sed actus contritionis habet has omnes conditiones: ergo voluntas potest illum efficaciter appetere. Respondeo distinguendo primum antecedens. Voluntas potest imperare efficaciter id quod est in sua potestate imperatiue, concedo: quod est in sua potestate elicitiue, nego. Distinctionem explico: in potestate voluntatis est elicere actum contritionis, non tamen est in sua potestate elicere actum imperij ex se efficacem respectu actus contritionis, quia actus contritionis est in potestate voluntatis libertate propria, non vero libertate imperantis, ac proinde potest libere elici, non potest tamen libere (hoc est, imperio libero) efficaciter imperari, quia nequit dari actus imperans ex se efficax respectu actus alius liberi libertate propria. Ex his terminis alios distinctionis accipe: Potentia potest imperare efficaciter quicquid est in potestate illius, distinguo: quod est in potestate voluntatis libertate propria, nego; quod est in potestate voluntatis libertate imperij, concedo. Diverso enim modo est in potestate voluntatis actus contritionis, & actio externa deambulandi, actio enim externa deambulandi est in potestate voluntatis libertate actus imperantis illam, actus vero contritionis est in potestate voluntatis libertate propria eiusdem actus. Ad confirmationem. Respondeo eodem modo voluntatem posse intendere voluntate efficaci obiectum bonum, & conducent ad suum finem, quia tale obiectum est in potestate voluntatis imperatiue, seu libertate imperij, non vero quia est in potestate voluntatis elicitiue & libertate propria. Doctrinam hanc velit noli tenetur admittere Ripalda; fatetur enim ipse actum contritionis efficaciter imperatum amittere suam libertatem, & tantum esse liberum secundario libertate actus imperantis, quo posito sic arguo: Supposita libertate in actu primo ad actum contritionis, actus contritionis in actu secundo liber est in potestate voluntatis, quia potest illum elicere, & non elicere; & tamen voluntas non potest efficaciter imperare talem actum contritionis in actu secundo liberum, quia eo ipso quod imperetur amittit suam libertatem; ergo non potest voluntas imperare efficaciter totum id, quod ipsa potest facere: ergo ex eo quod voluntas sit potens elicere contritionem non inferitur esse potentem illam imperare.

26 Arguit secundum Ripalda. Voluntas potest efficaciter imperare puram omissionem; ergo potest efficaciter imperare actum positum. Respondi potest voluntatem non posse efficaciter imperare puram omissionem actus, ad quem elicendum, vel omittendum voluntas erat indifferens, propter rationem, de actu positivo traditam.

27 Arguit tertio: Poenitentia potest efficaciter intendere suum obiectum, hoc est, compensationem pro peccatis; ergo potest illam efficaciter imperare. Respondeo poenitentiam posse imperare efficaciter suum obiectum, quando hoc est

liberum libertate imperantis, seu imperatiue, non vero quando est liberum libertate propria seu elicitiue. Adde nullum actum virtutis ad contritionem distinctum fore compensationem peccati, si ab aliquo actu imperanti efficaci procederet, quia actus imperatus efficaciter ut tenet Ripalda, & postea probabo, non est liber libertate actus, & consequenter, neque meritorius per se, neque satisfactorius pro peccato, unde si poenitentia efficaciter intenderet misericordiam ad satisfaciendum pro peccato, destrueret virtutem, quam habet actus misericordiae ad talem satisfactionem exhibendam, quia destructa libertate destruitur meritum, & satisfactorius actus; Unde ex hoc capite posset quis moveri ad haec imperia efficacia neganda, ne concedatur hominem formaliter non mereri per actum misericordiae, quem ex motu charitatis, aut aliis virtutibus efficaciter imperavit. Quod docet Ripalda, videlicet actum internum voluntatis, & externum aliarum potentiarum non liberum in se addere rationem meriti supra actum imperantem a quo habent libertatem derivatam, respectu actus internorum probabiliter non caret, similem enim doctrinam tradunt Vasquez & Suarez quos referam Contr. 11. Punct. 3. num. 15. asserentes electionem tantum liberam libertate intentionis in se meritoriam esse. In hac tamen materia oppositum fert communis sententia iuxta quam argumentum infirmum. Suarius enim & alij quos adducit Ripalda asserentes actum efficacem imperantem non addere actui imperato rationem meriti censent actum imperatum adhuc supposito imperio efficaci liberum permanere. Dixi nullum actum virtutis ad contritionem distinctum efficaciter imperatum fore satisfactionem pro peccatis, quia de actu contritionis specialis est difficultas: si enim ex natura sua sit forma sanctificans etiam necessarius elicetus sanctificabit, & erit compensatio pro peccato non per modum meriti, neque per modum compensationis, sed per impossibilitatem formaliter, amittet tamen rationem meriti, quam haberet, si libere elicetur: De hoc Theologi.

Hac sunt fundamenta quibus probat Ripalda posse voluntatem efficaciter per actus reflexos, directos imperare, quibus ego non fido; nihilominus illius conclusionis assentior, & affirmo posse voluntatem actu reflexo alium actum eiusdem potentiae efficaciter imperare, ita ut posito illo imperio non possit non elicere actum imperatum. Mouet ad hanc conclusionem, quia intentio efficax in omnium sententia cogit necessariam voluntatem ad electionem faciendam, ergo potest actus voluntatis procedere ab alio necessario, qui illum reflexe non respicit, ergo potiori ratione poterit procedere ab alio reflexe respiciente talem actum: maior enim apparet connexio inter actum, quo dico, decerno volitionem conductum equi & volitionem decretam; quam inter actum, quo dico volo ire Matritum, & ipsam volitionem equi conductum.

2. Attritio quae quis detestatur peccata, impossibilis est cum peccato actuali, ergo actus quo dico, poenitet me peccasse, & firmiter decerno non peccare impossibile est cum actu peccaminoso omissionis, & commissionis: ergo talis actus urgente precepto de actu misericordiae elicendo necessario determinat ad actum misericordiae elicendum; ergo est efficax respectu illius mediate vel immediate ut postea explicabo.

3. Pone actum amoris Dei super omnia non esse intrinsecum formam sanctificantem, ut fert probabilis opinio, neque illum comitari, neque praecedere habitum, gratiam, quod de potentia absoluta contingere potuit, etsi demus actum amoris Dei super omnia entitativum naturalem, de facto contingat, & non opponitur cum peccato tanquam amicitia, & inimicitia, iustitia, & iniustitia. Posito illo actu sine sanctificatione nullus Theologus admittet posse cum illo actu existenti peccatum actuale componi: ergo talis actus est imperium efficax mediarum, vel immediatum, respectu omnium actuum, quorum preceptum illo durante virgeat: ergo potest voluntas per unum actum se ipsam determinare ad alium.

Ultimo, quis non rideret hominem dicentem ex se toto animo velle non peccare, & exequi omnes actus preceptos, si illum videret actu peccantem, & omittentem actum misericordiae preceptum; ergo hic actus quo quis ex animo dicit, nolo omittere actum misericordiae, seu volo elicere actum misericordiae, voluntatem determinat ad ipsum actum misericordiae preceptum, dixi actum amoris Dei Sanctitatem seculam & actum amoris Dei naturalem

ralem necessitate voluntatem ad actum præceptum mediare vel immediate, quia postea dicam, hæc imperia confusa non semper immediate determinare voluntatem ad actus imperatos, sed aliquando per modum intentionis media electione, quæ ex motu actus confusè imperantis immediate & expresse imperat tales actus.

Id quod contra hanc conclusionem adducitur, voluntatem esse potentiam liberam, & actus virtutis esse liberos, nullius est momenti, quia voluntas etsi sit potentia libera potest aliquando necessario operari, & plures actus necessario ab illa oriuntur, actus enim virtutis, tunc sunt liberi, quando procedunt à principiis indifferentibus, si verò procedant ab aliquo principio determinato erunt necessarii, sicut contingit in actu charitatis erga Deum in patria elicitum, qui absque libertate à voluntate procedit.

PUNCTUM II.

De imperio particulari indeterminato, & de imperio vago confuso, & vniuersali.

1 Statui iam actum reflexum voluntatis posse habere rationem imperij respectu actus eiusdem potentie, quem respicit tanquam obiectum; quod si alicui conuenit omnium primo actui respicienti tanquam obiectum actum singularem, & determinatum voluntatis. Insuper maior difficultas de actu respiciente obiectum indeterminatum, v.g. de actu voluntatis quo quis dicit, volo elicere actum charitatis vel religionis, an immediate possit esse imperium respectu alicuius determinati, vel an requiratur alius actus quo voluntas dicat, volo elicere hunc actum. Hurt. 2.2. t.2. disp. 137. sect. 6. & disp. 137. sect. 2. & 138. sect. 2. affirmat non posse dari imperium respiciens indeterminatè duos actus voluntatis, Ripalda disp. 66. sect. 3. affirmatiuam partem tuetur: pro qua sic arguit.

2 Posito actu, quo quis dicat, volo elicere actum religionis, vel charitatis, potest voluntas determinatè actum religionis elicere. At tunc actus religionis erit imperatus. Ergo potest dari imperium respectu obiecti indeterminati: maior est certa, quia quocumque imperio secluso potest dari actus religionis: minor in qua vertitur difficultas, visa fuit clara Ripaldæ quia tunc actus ille religionis elicitur, tali modo, vt illo imperio non precedente non eliceretur, posset tamen aliquis & non cæcus, dicere se non videre claritatem illius, & affirmare actum religionis elicitum tantum concomitantè se habere respectu illius imperij indeterminati, & illo deficiente eodem modo eliciendum esse.

3 Arguit secundò Ripalda: posito hoc imperio, volo elicere actum religionis vel charitatis, potest voluntas se determinare ad actum reflexum, quo dicat, volo elicere actum religionis, etiam si primus actus reflexus non maiorem connexionem haberet cum actu alio reflexo imperante religionem, quam cum alio actu reflexo, quo voluntas potest imperare charitatem. Confirmatur: Voluntas ex intentione finis non respiciente magis hoc medium, quam illud, potest moueri ad eligendum hoc medium, & aliud relinquendum, ergo etiam si actus reflexus imperet actum indeterminatum, & æquè respiciat actum charitatis & religionis, poterit voluntas ex vi illius se determinare ad actum religionis. Respondeo admissio antecedenti negando consequentiam primæ probationis, & secundæ confirmationis: cum enim voluntas ex intentione finis respiciente media indeterminatè, eligit hoc singulare & determinatum medium, electio medijs attingit obiectum formale intentionis, & in multorum opinione ipsa electio ab intentione dependet efficienter: vnde optimum caput peti potest ex quo dicamus hunc actum pendere ab illo, sicut assensus consequentis pendet ex assensu antecedentis, in imperio verò assignato cum actus imperatus non attingat obiectum imperantis, & actus imperans sit indifferens ad actum elicitum, & ad alium, qui poterit elici, dicit Hurtado nihil esse in actu directo per quod constituitur dependens ab imperato. Eodem modo respondeo de actu reflexo determinato respectu religionis, qui posuit procedere ex actu alio indeterminato, tunc enim actus reflexus secundus respiciet obiectum formale actus primi reflexi respicientis obiectum indeterminatum, & se habebit per modum electionis respectu illius.

Dico primò: Quando voluntas dicit, volo elicere actum charitatis vel religionis, & non se determinat ad imperandum hunc potius quam illum, quia illorum naturas nondum inspectas habet, vel quia pro sua libertate, vult sibi integrum relinquere postea decernere, quem actum sit elicitura, ex vi illius volitionis reflexæ nullum imperium habet voluntas vt determinetur ad actum religionis determinatè, & ad actum charitatis, quod si ipsa se determinauerit ad eorum alterum, talis determinatio erit ex libertate voluntatis, quam habet respectu talis actus omnino independens ab imperio precedenti. Ratio huius conclusionis est, quia ex vi talis volitionis reflexæ voluntas adhuc sibi integrum relinquit discernere inter hunc actum faciendum potius quam illum, quod nondum fecerat, quia non perfectè nouerat differentias vtriusque actus, vel quia ex vi talis actus reflexi imperantis nondum volebat potius se ad hunc quam ad illum determinare: ergo productio determinata huius actus, non potest imputari illi volitioni, seu voluntati quatenus elicienti volitionem, per quam ipsas voluntas, ius postea eligendi vnum actum præ alio sibi seruauerat. Exemplum imperij externi rem propalabit. Dicat dominus seruo, placet mihi te rusticatum petere, vel domi manere, quid verò horum determinatè sis facturus, apud me statuam, tibi que indicabo. Ex vi huius actus nullam habebat seruus obedientie materiam, quod si illo insinuatò rusticatum peteret, posset dominus illi reprehendere, quia rusticatum absque illius voluntate petiisset nec posset seruus dicere, se illius imperio paruisse, quia adhuc dominus voluntatem suam illi non indicauerat practico modo, siquidem maturiori consilio seruus esset facturus.

Dico secundò. Quando voluntas rectè inspecta naturam actus charitatis, vel religionis dicit, volo elicere actum charitatis vel religionis, & non se determinat ad hunc potius quam ad illum, quia in vtroque inuenit sufficientem amabilitatem, vt imperetur ab illa, & in neutro rationem aliquam inuenit, qua moueretur ad hunc præferendum illi, vel huic illum, & ita circa vtrumque afficitur, vt nolit sibi reseruare ius eligendi, neque vnum alteri præferendi per alium actum, quia vterque illi placet, & vult determinationem vnius præ alio annectere ipsius actus productioni, non verò alij actui imperanti hunc præ alio, tunc talis actus poterit obire munus imperij respectu cuiuscumque determinati, quia voluntas absolute placet in bonitate cuiusvis actus, quem practice amat, indeterminatio autem quam habet respectu obiecti non obest imperio facto potentia libera, quia illa poterit illam determinationem auferre. In hoc enim distinguitur imperium respectu potentie liberæ, & potentie necessariæ, quod potentia libera potest seipsam determinare, & indifferentiam, quam habet imperium per modum actus primi auferre ipso actu secundo, potentia verò, quæ ex se libera non est, non potest hanc indifferentiam auferre: vnde si voluntas dicat, volo petere forum vel rusticatum, potentia locomotiva nullum motum exercet versus illam partem, quovsq; voluntas determinatè dicat, volo me versus hanc partem mouere.

Appositum exemplum habes in imperio externo præcepti purificationis, Leuitic. cap. 12. quo præcipiebatur indeterminatè offerri par turturum, aut duos pullos columbarum, & femina quæ determinatè par turturum offerebat, præceptum adimplebat, idem præceptum adimpletura eodem modo, si duos pullos columbarum obtulisset. En actus externus imperatus procedens ab imperio indeterminato: ergo eodem modo poterit dari actus internus imperatus ab imperio indeterminato. Si enim obediens præcepto à superiori imposito potest se determinare inter hoc vel illud obiectum, salua obedientia subditi ad legillatorem, cur non poterit interna libertas determinare actum imperatū respectu imperij interni indeterminati, salua obedientia, quam voluntas potest per vnum actum sibi ipsi exhibere præcipienti per alium.

Obiicit Hurtad. disp. 137. sect. 2. Obiectum imperij vagi non potest existere: ergo imperium vagum non potest esse factum illius, neque voluntas potest ex vi huius imperij moueri ad obiectum illius exercendum. Probatur antecedens, obiectum imperij vagi est hic actus vel ille indeterminatus & vagus: sed non potest produci, neque existere actus indeterminatus & vagus: ergo non potest voluntas ex illo imperio moueri ad executionem sui obiecti.

Possit eodem modo arguere Hurtado contra præceptum offerendi par turturum, aut duos pullos columbarum, cuius obiectum est vagum, & indeterminatum, & consequenter non poterit exerceri, & præceptum erit de re impossibili, & non practicum. Resp. obiectum imperij respicientis obiectum vagum & indeterminatum, non ita obiectum indeterminatum respicere, ut voluntas imperet actum indeterminatum, aut velit produci actum vagum, illa enim indeterminatio non se tenet ex parte obiecti, neque est volita, sed tantum ex parte actus, voluntas enim adhuc per imperium vagum semper vult existere obiectum aliquod determinatum ex parte obiecti, quia tamen vult duplex obiectum, inter quæ non vnum alijs præfert, dicitur velle indeterminatè non ex parte obiecti, sed ex parte actus. Ad formam argumenti, Respondendum: obiectum imperij vagi non potest existere eo modo, quo terminat tale imperium; distinguo: eo modo quo terminat secundum id, quod formaliter se tenet ex parte termini, seu ex parte obiecti talis actus, nego: secundum id quod se tenet ex parte modi, concedo: tota enim indeterminatio non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte actus imperantis, qui licet in se determinatus sit respicit illa obiecta modo indeterminato, hoc est, utrumque indifferenter, ita ut quodlibet illorum ex vi talis actus possit existere, & neutrum præcisè ratione imperij præ alio inferatur ex illo.

8 Obiect. secundò. Imperium vagum & indifferens non potest immediatè, & per se inferre effectum externum absque alio determinante: ergo neque potest immediatè per se imperare. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam; quia effectus externi procedunt à potentiis nullam indifferentiam determinare valentibus, ac proinde voluntas determinans potentiam externam debet illam determinare ad hanc speciem actus potius quam illius: actus verò voluntatis procedit à potentia potente se determinare ad hunc potius quam illum actum in specie, atque proinde potest illi imperari cum indifferentia inter hunc & illum actum.

9 Dico tertio. Actus quo voluntas dicit, volo elicere actum virtutis, abstrahens ab hoc vel illo speciali actu, quorum specificæ differentie, & speciales bonitates illi nondum fuerunt medio intellectu applicatæ, vel quia si fuerunt applicatæ adhuc sibi voluit voluntas integrum relinquere per alium actum reflexum imperare, & decernere hunc actum virtutis potius quam illum elicendum, non potest immediatè imperare actum specialem, quia ex vi illius actus nondum est explorata voluntas circa aliquem actum, ita ut absolutè possit dici, hic actus placet voluntati, quia cum illo actu, quo dicit, volo elicere actum virtutis composibilis est actus, quo dicit, nolo elicere actum temperantiæ & sic de quocunque alio actu. Si verò haberet voluntas differentias omnium actuum virtutum ad illius satietatem inspectas, & diceret, volo elicere actum virtutis, idem esset ex parte obiecti, & ex parte modi, ac dicere, volo elicere actum religionis, vel iustitiæ, vel temperantiæ, & in hoc casu philosophandum est modo dicto de imperio particulari indeterminato. Quod dixi de actu, quo dicit voluntas, volo elicere actum virtutis, eodem modo intellige de actu quo dicit, volo adimplere legem, quando lex adimpleri potest actibus specie diversis.

10 Dico quarto. Quando voluntas diceret, volo adimplere totam legem, seu, volo elicere actus, ad quos teneor ex præcepto, si inspectos habeat speciales actus sibi coniunctos, est idè ac dicere, volo elicere actum iustitiæ mihi præceptum, & actum charitatis; ac proinde illa volitio poterit vices imperij gerere respectu cuiuscunque actus præcepti. Si verò voluntas inspectos non habeat actus speciales præceptos, neque adimpleriones legum secundum suas rationes specificas, talis volitio non potest esse immediatum imperium respectu specialem actus v.g. actus charitatis præcepti. Hanc secundam partem conclusionis defendit Hurtado supra. Moneor ad hanc conclusionem quia illa volitio respiciens rationem communem actuum præceptorum, licet ex parte obiecti sit eadem, ac volitio, quæ dicit, volo elicere hunc actum & illum actum præceptum, tamen ex parte modi est longè diversa, quia ex modo tendendi in singularem propositam in ratione comuni abstracta, ita voluntas fertur in illa ex parte actus, ac si nullo modo rationes peculiare amaret, sed tantum rationem communem, sicut cognitio abstractiva animalis, ita fertur in rationale, ac sic rationale nullo modo cogitaretur, neque cognitio animalis v.

fic, etiam si in opinione tantum præscindente ex parte modi, sit cognitio rationalis, potest regere actum voluntatis tendentem expressè in rationale, ergo volitio illa virtutis in communi ita fertur in specialem actum, ac si illum non amaret, neque poterit illum in actu secundo specialiter imperare.

Ex his constat actum quo quis vult adimplere totam legem confusè cognita, tantum posse influere in adimplerionem præcepti charitatis medio alio actu, qui ex intentione adimplendi totam legem, dicat, volo adimplere hanc partem legis, hoc est, elicere contritionem præcepti, qui actus respicit motuum primi illius vniuersalis intentionis totam legis obseruationem, ex quo procedit instar electionis, seu instar actus imperantis partialem executionem finis. Huic doctrinæ consentit Hurtado supra.

Dico tertio. In omnibus his imperiis assignatis quædam sunt efficacia, quædam inefficacia; potest enim quis inefficaciter velle elicere actum misericordiæ, vel iustitiæ ex vi cuius actus voluntas poterit utrumque obiectum voluntum omittere, vel alterum pro sua libertate elicere: & potest quis efficaciter decernere elicere actum misericordiæ, vel iustitiæ, quo decreto posito voluntas non possit non alterum horum actuum elicere, & tantum sit libera ad eligendum vnum præ alio. Idem dicendum de actu illo seu imperio confuso, quo quis dicit, volo elicere actum virtutis, qui licet immediatè non influat in hunc actum virtutis, sed tantum potest mediatè illum influere per modum intentionis media electione, quæ intentione posita non potest non poni quicquid necessariū fuerit ad executionem finis. Hac ratione attritio efficacis detestis omne peccatum confusè cognitum, & propositum de cætero non peccandi, componi non possunt cum ipso peccato, quia habent rationem intentionis efficacis respectu negationis cuiuscunque peccati, ac prinde ex vi illius necessariū est inferenda voluntas exequutiva mediorum, & finis, si talis voluntas necessaria fuerit ad talem executionem exempli gratia, si intendit quis efficaciter non peccare in posterum, permanente hac intentione occurrit vehemens tentatio committendi peccatum luxuriæ, si ad negationem talis peccati imminens necessaria sit volitio expressa, quæ efficaciter expressè detestetur tale peccatum, inferenda est ex illa intentione. Similiter si occurrat præceptum elicendi actum contritionis, si ad hunc elicendum necessaria sit volitio reflexa, (non dico si necessaria sit antecedenter, hoc est, si sine illa elici non possit, sed si necessaria sit saltem consequenter, quia sine illa non elicetur de facto) quæ dicat, volo elicere contritionem, talis volitio inferenda est ex illa efficaci intentione, quia intentio efficacis cogit voluntatem ad efficiendum totum illud, sine quo finis non potestur eo modo, quo intenditur, de hoc latius Contr. II. p. 9.

PUNCTUM III.

De imperio non reflexo ubi de materiali electione.

Imperium directum directè tendens in obiectum externum, in cuius ademptionem internus alius actus educere potest, propugnat Ripalda de ente supernaturali disp. 66. sect. 3. quod acriter impugnat Hurt. 2.2.2. disp. 135. sect. 6. cum Ripalda sensere sapientissimi recentiores, qui electionem quandam materiale constituit, quæ nullo modo attingit intrinsecè motuum formale finis, neque medium propter tale motuum, sed solum electio dicitur, quia nascitur ex fine, & conducit ad finem consequendum: exempli gratia, intendit Deus poenitentiam non præiusto peccato. Ad hunc finem consequendum necessarium est peccatum, ad hoc necessaria permissio, quam Deus debet apponere. Aiunt Deum non teneri permittere peccatum propter poenitentiam, sed propter poenitentiam, vel propter alium finem, quem Deus potuit intendere impropria permissione, etiam si non præcessisset illa intentio poenitentiae. Ne Theologicis terminis quæstio Philosophica obscurior non Theologo fiat, rem explico exemplo in vulgari materia posito. Intendit quis efficaciter ire Matrimonium, ex hac intentione tenetur eligere medium necessarium ad iter agendum; pono necessariū esse conducere equum, quia alio modo iter agi nequit. Affirmant hi recentiores illum teneri velle equum conducere, non tamen teneri velle conducere equum propter iter agendum, sed propter hunc, vel

vel alium finem, v. g. propter delectationem capiendam de equitatione.

2 Hanc materialem electionem ita stabiliunt Recentiores, ex intentione finis ad id tantum teneor quod necessarium est ad finem consequendum: sed ad finem consequendum non est necessaria electio medij propter finem, sed sufficit volitio efficacia medij propter quemcumque finem, ut per se patet, æquè enim Matritum ibo, si post intentionem efficacem iter agendi equum conducam ex intentione eundi Matritum, vel ex alia quacumque intentione, possessio enim, & habitio equi æquè utilis est ad iter agendum, siue ex hoc siue ex alio siue fuerit comparata. Hac philosophandi ratione nonnulla componunt recentiores ad Theologiam spectantia, videlicet prædeterminationem actus liberi, intentionem poenitentiae ante præiudicium peccati, & alia huiusmodi.

3 Contra hanc materialem electionem & hunc modum influendi actus directi in alium directum voluntatis, sic argumentatur Hurtadus: Intentio finis debet inducere amorem medij conducentis ad finem: ergo si actus charitatis est medium ad intentionem actus poenitentiae, debet actus poenitentiae inducere amorem actus charitatis. Ad hanc objectionem rectè respondet Ripalda intentionem debere inducere amorem mediorum exteriorum, quæ non potest exequi, nisi medio illorum amore, non tamen debere inducere amorem mediorum interiorum quæ sine amore ipsorum possunt poni ab ipsa voluntate immediate eliciente talia media, hoc est, actus voluntatis internos, qui se habent ut media ad talem finem. Si enim ex intentione quadam teneor conducere equum, teneor velle ipsam conductionem, quæ non potest nisi media sui volitione à me dependere; si verò ex alia teneatur elicere actum volitionis, v. g. misericordiae, non teneor velle ipsam volitionem, seu actum misericordiae potentem sine sui volitione, neque amore reflexo à me dependere.

4 Arguit secundò: Actus externi non sunt imperati quin sint reflexe voliti, ergo neque interni. Huic objectioni solutionem iam dedi, actus enim externi ideo non possunt imperari, quin sint voliti, quia non nisi media sui volitione à voluntate dependent: actus verò interni per se ipsos dependere possunt, ac proinde non tenent consequentia peccata à paritate actuum exteriorum ad internos actus.

5 Arguit tertio. Actus charitatis, & actus misericordiae, possunt coexistere, quin actus misericordiae, se habeat per modum electionis materialis respectu intentionis misericordiae: ergo ut actus misericordiae se habeat per modum electionis materialis debet esse volitus electione formali reflectente super ipsum. Sed sibi insit Hurtadus, similiter possunt esse actus reflexus imperans, & actus imperatus, quin vnus procedat ab alio: ergo imperium non consistit in amore reflexo; Huic objectioni facile parat Hurtadus ipsum respondere dicentem, actum imperatum essentialiter requirere diuersam actionem, quæ procedat ab imperante, quam non haberet si ab ipso non procederet. Sed iuxta hanc doctrinam eodem modo posset responderi, electionem materialem non respicientem intrinsecè motum intentionis, neque medium propter finem, neque ut vile formaliter indigere speciali actione, quæ dependeat ab intentione, quam non haberet si ab illa non dependeret. Ripalda soluit hoc argumentum eodem modo, ac in imperio reflexo, & dicit tunc electionem materialem dependere ab intentione, quando ita existit ut non existeret, si deficeret intentio; quam doctrinam latè impugno punctis 4. & 5. ubi probò hos conditionatos euentus inutiles esse ad explicandum, & constituendum influxum inter imperatum & imperantem: quid ego de hoc argumento sentiam dabo num. 8.

6 Dico primò. Si intentio determinare potest ad illum actum, quem electionem materialem appellant recentiores, nulla alia formalis electio ex vi intentionis necessaria est. Hanc conclusionem rectè probat ratio facta pro illa sententia, scilicet intentionem finis tantum obligare ad id, quod necessarium est ad finem consequendum, sed postea electione materiali non est necessaria electio formalis, quia æquè vtraque idem consequitur medium: ergo si ex vi intentionis efficacia poni potest materialis electio, formalis alia necessaria non est.

7 Dico secundò. Si per accidens coniungatur intentio finis cum volitione medij propter bonitatem aliquam independentem à fine, electio formalis necessaria non est.

Hæc conclusio ex præcedenti insertur necessariò, si enim electio materialis determinata ad intentionem sufficit ad finem consequendum, sufficeret etiam ab illa non determinetur, æquè enim medium consequitur volitio medij non respiciens intrinsecè finem, siue ab illius intentione determinetur, siue independentem ab illa procedat. Confirmatur: Intentio efficax non obligat ad amandum neque eligendum medium, quod independentem à mea electione potest esse: ergo non obligabit ad amandum electione formali medium quod independentem à tali formali electione existentiam habet.

8 Dico tertio: Intentio immediate non potest determinare voluntatem, neque adhuc inefficaciter ad actum electionis materialiter. Hanc conclusionem docent Hurtadus supra & Soar, tom. 3. de gratia lib. 12. cap. 11. num. 15, quam probò argumento Hurtadi nuper adducto, quod in meis principiis sic fulcio. Possunt illi duo actus quos intentionem, & electionem materialem appellant recentiores coexistere, & non dependere vnus ab alio: ergo ad hanc dependentiam aliquid superadditum requiritur, diuersitatem actionis in actu imperato seu dependente ab alio, & conditionalem euentum, quibus hæc imperia constituentur influentia abundè impugno, punctis 5. neque recursus patet ad coexistentiam horum actuum, licet enim dixerim actum reflexum non posse coexistere directè, quin hic ab illo dependeat, hoc dici nequit de his actibus quos intentionem, & electionem materialem vocamus, nullus enim ex se intrinsecè dicit ordinem ad alium, & ex hac coexistentia sæpe non maior dependentia potest inferri huius ab illo, quam illius ab hoc: possunt enim actus respicere obiecta, quorum quodlibet ex se vtile esse possit ad aliud, v. g. cupio sanitatem propter ipsam, & cupio balneum ingredi propter voluptatem quam ex illo capio: hæc duo obiecta possunt inter se esse vtilia quodlibet illorum ad alterum comparandum, ingressus enim in balneum utilis esse potest ad sanitatem comparandam: possum enim intrare in balneum propter sanitatem comparandam, & sanitas utilis est ad ingressum in balneum; possum enim sanitatem amare propter ingressum in balneum mihi maximopere delectabilem, ergo quando sunt hi duo actus, amo sanitatem propter ipsam: amo ingressum in balneum propter delectationem capiendam, nulla est ratio propter quam dicamus amorem sanitatis se habere tanquam finem & amorè ingressus in balneum tanquam medium vel e contra: ergo neuter habebit rationem finis neque rationem medij præcisè ex coexistentia: ergo nullum est caput, ex quo possumus inuenire dependentiam inter duos actus. Si dicas non omnia obiecta esse mutuo inter se vnum vtile ad alterum. Respondeo plerosque esse huius conditionis in quibus tenebit hæc ratio, quia de facto obiecta illorum actuum mutuo possunt esse vtilia, alterum ad alterum comparandum, & saltem ex falsa apprehensione in omnibus hæc ratio potest inueniri, quia intentio non solum determinat ad electionem medij quod in se est vtile, sed ad electionem cuiuscumque rei, quæ apprehendatur ut utilis, & ut habens rationem medij, licet illam non habeat.

9 Dico quartò. Intentio efficax potest immediate mouere ad actum reflexum, quo ametur electio materialis ut utilis ad finem intentum. Probo hanc conclusionem, illa materialis electio utilis est ad finem consequendum, coniungitur enim cum medio utili: ergo cognita ut utilis poterit amari ex intentione talis finis, habet enim sufficientem bonitatem quæ possit amari propter finem intentum: exempli gratia intendo ire Matritum: cognosco fore vtilem ad talem finem velle conducere equum, etiam si volitio conductionis equi non illam respiciat propter iter agendum, sed propter equum possidendum, vel propter voluptatem capiendam ex equitatione. Ex illo fine adeundi Matritum, possum actu reflexo eligere propter finem intentum volitionem conducendi equum respicientem voluptatem capiendam ex equitatione per suammet entitatem, & finem intentum eundi Matritum non per suam entitatem, sed tantum extrinsecè ratione electionis formalis imperantis talem volitionem, moneo tamen in hoc casu volitionem directam, quæ equum conduco propter voluptatem capiendam non habere rationem electionis, sed rationem medij imperati ab electione.

10 De aliis actibus voluntatis inclinantibus voluntatem ad alias volitiones circa idem formale motiuum, v. g. quædo ex amore Dei amo proximum propter ipsum Deum rectè

rectè monet P. Didacus Ruiz. tom. de providentia disp. 3. sect. 8. num. 9. non habere rationem imperantis neque imperati, sed esse novam extensionem ad idem obiectum motuum.

- II Disputant Theologi à quo habitu procedat actus imperatus. An ab habitu imperantis, vel à proprio habitu, in qua quaestione dicendum omnem actum suum imperantem, siue imperatum procedere ab habitu illius virtutis, ad quem pertinet ex motu intrinseco, ita ut si actus charitatis efficaciter imperet actum religionis, actus imperans charitatis procedat ab habitu charitatis, & actus imperatus religionis ab habitu religionis, & tantum mediare dependeat ab habitu charitatis, quatenus dependet ab actu charitatis qui dependet à tali habitu charitatis. Ratio huius conclusionis est quia nullus habitus virtutem habet versandi extra suum motuum, versaretur autem habitus charitatis circa motuum religionis, si actus religionis imperatus procederet ab habitu charitatis. Quaestio alia, scilicet cuius speciei sit bonitas imperata, an pertineat ad eandem speciem ad quam pertinet bonitas imperantis, & habeant motiva speciei diversia, est purè Theologica.

PUNCTUM IV.

An imperium natura sua efficax libertatem adimat.

Varia imperiorum genera assignavi & statui posse in quolibet illorum genere aliquo ex natura sua assignari efficacia: est modò definiendum de singulis seorsim sumptis an libertatem adimant voluntati.

§. I.

Propria sententia.

- I Sententia est Recentiorum, actus imperantes quantum suis natura sua efficaces non adimere libertatem, quam referunt Hurtadus & Ripalda postea citandi, in illius suffragium prædicti recentiores vocant plures Authores, quos, ut bene notant Hurtadus & Ripalda, non ad illorum memorem referunt, quia tantum illi asserunt voluntatem liberè elicere actum imperatum vel eligere medium unicuique supposita intentione vel imperio efficaci, quia illi liberum fuit cessare ab intentione seu imperio, ex quo tantum inferitur actum imperatum esse liberum secundario libertate derivata ab imperante. Existimo tamen immerito dixisse Hurtadum sententiam hanc solum defendi ab his Recentioribus, illam enim expressè tenet P. Suarez lib. 12. de gratia c. 11. n. 14. quam perperam explicat Ripalda, quasi id non asseruisset, quia licet n. 11. ad meritum facilius defendendum in actu imperato negaverit actus efficaces imperantes, postea tamen his admissis, meritum & libertatem sibi servare voluit imperatos, est enim illi familiarissimum varios assignare modos, ad eandem defendendam quaestionem.

- 2 Sententiam affirmantem actus efficaces libertatem adimere defendunt P. Salas l. 2. t. 1. lib. 6. disp. 1. sect. 5. §. dicit sumere, & disp. 2. sect. 6. n. 66. Ripalda de ente supernaturali disp. 63. sect. 2. Hurtadus 2. 2. disp. 136. P. Valquez & Torres, quos perperam referri ait Ripalda, quia uterque negat hos actus imperantes efficaces absque ratione tamen prohibere vult Ripalda hos Doctores referri pro hac sententia, licet enim actus imperatos efficaces non concedant, inferunt tamen actus imperatos non fore liberos si tales actus efficaciter imperantes darentur: legatur P. Valquez l. 2. disp. 51. n. 38.

- 3 Dico primò. Actus imperans ex natura sua efficax si determinatum respiciat obiectum actui imperato propriam illius libertatem adimit, & in illum derivat libertatem quam in se formaliter habet, sicut volitio libera imperans actionem externam illam denominat extrinsecè liberam. Secundam conclusionis partem nullus negabit, priorem sic probo. Talis actus imperans antecedit actum imperatum, & illius est causa, & non est indifferens ad existentiam actus imperati, & negationem illius, sed determinatus ad existentiam imperati, ergo antequam actus imperatus sit determinatus in se ipso, est determinatus in causa, & antequam videatur existens absolute, vel sub conditione ex positione præcisa actus imperantis inferitur necessarius actus imperatus ergo necessitas talis imperati non est subsequens sed antecedens, quia nascitur ex aliquo antecedenti ipsum actum imperatum, & tenente se ex parte principij respectu

illius, illa est enim necessitas antecedens quæ nascitur ex aliquo antecedenti ipsum actum.

Respondent Recentiores illam esse necessitatem consequentem, quia nascitur ex determinatione libera voluntatis, contra quos sic arguo. Necessitas actus imperati oritur ex determinatione voluntatis ad actum imperatum, ante determinationem eiusdem voluntatis ad ipsum imperatum: ergo licet nascatur ex determinatione subsequenti seu comitante actum imperantem, nascitur ex determinatione antecedenti actum imperatum, ergo licet non obstat libertati actus imperantis, obstat tamen libertati actus imperati, nihil enim refert determinationem esse subsequentem ad aliquem actum, ut libertatem lædat alius, cuius est infallibilis determinatio, quemque causalitate præcedat sicut contingit in nostro casu.

Alter respondent, voluntatem determinantem se ad actum imperantem, quem novit connexionem habere cum imperato, liberè se ad illum determinare, ac proinde illam determinationem libertatem non lædere. Resp. voluntatem determinantem se liberè ad actum imperantem, liberè se determinare ad actum imperatum libertate primario efficiente actum imperantem, & secundario & denominativo actum imperatum, non tamen se liberè determinare libertate propria actus imperati, sicut contingit in imperio actus externi ad quod liberè se determinat voluntas, libertate actus interni derivata in externum, non tamè primario illi inhaerentem. Ratio huius conclusionis est quia libertas propria actus dicit ipsam entitatem actus dependentem à principiis indifferentsibus, determinatio autem ad actum imperantem quantumvis hic prævideatur connexus cum imperio non dicit formaliter entitatem actus imperati, & si illam diceret esset cum dependentia à principio non indifferenti, scilicet ab actu imperante, ergo nullo modo potest dicere libertate formalem actus imperati. In hanc eandem solutionem incidit alia, quia dicit Recentiores actum imperantem esse determinationem radicalem non formalem actus imperati, ac proinde illius libertati non obesse. Contra: determinatio illa radicalis actus secundi est formalis per modum actus primi ad eundem actum secundum, qui posita principio non est indifferens ad actum imperatum, & ad negationem illius, sed determinatum ad illius existentiam: ergo aufert totam indifferenciam voluntatis, & inducit necessitatem ad actum imperatum eodem modo ac illam induceret quodcumque principium prædeterminans, quod non est determinatio formalis ipsius actus secundi, per modum actus secundi, hæc enim non distinguatur ab ipso actu, sui formaliter determinat potentiam ad actum secundum, cum negatione cuius coponi non potest.

Confirmatur: Si hoc imperium efficax esset insulsum potentie absque ulla libertate ipsius, actus imperatus procedens ab illo non posset habere propriam libertatem ergo modò quando actus imperans liberè elicitur à voluntate, actus imperatus eadem libertate caret: Probo consequentiam, actus imperans siue necessarius siue liber sit in se ipso eodem modo præcedit actum imperatum & est causa illius, & eandem connexionem habet cum illo, quia actus imperans non influit in imperatum per propriam libertatem imperantis, sed per tendentiam intrinsecam, quam habet in illum tanquam in obiectum: ergo eodem modo propriam libertatem illi adimit, libertas enim propria & formalis actus imperati, & cuiusvis actus voluntatis sumitur ex modo, quo procedit à suis principiis immediatis cum indifferencia, ut procedat & non procedat ab illis, non verò ex indifferencia, vel necessitate, quam habent principia ad sui existentiam, actus enim liber dicitur, quia processit à cogitatione, à qua potuit non procedere, licet talis cogitatio, & quidquid se tenet ex parte principij respectu illius non sit liberum, sed necessario existens independentem ab aliqua determinatione voluntatis: ex hoc inferes actum imperatum procedentem ab imperio libero, vel necessario, in se ipso formaliter esse æquè necessarium, & differre tantum ex eo, quod actus procedens ab imperio libero, est siue necessarius in se ipso, est tamen liber in causa, & libertate causæ derivata in effectum, sicut est libera deambulatorio procedens necessario ab imperio libero voluntatis.

Dicunt alij actum imperantem supponere potentiam indifferencem per cogitationes, quas habet inclinates cum indifferencia ad actum imperatum, ac, proinde non tollere libertatem ad talem actum. Idem diceret de Physica prædicta

prædeterminatione, ipsa enim contingere potest voluntati præuente cogitationibus cum principiis, & circumstantiis quibus libera constituitur, ad actum ad quem qualitas illa prædeterminat, & hac ratione potentiam liberam supponere, & illi necessitatem non inferre. Respondeo imperium posse accidere voluntati independentem ab illo principio indifferenti, ipsam tamen libertatem destruere, quam sine ipso habebat voluntas, quia quoties plures causæ ad eundem effectum concurrunt, & una connexionem habet necessariam, & intrinsecam cum effectu, effectus ille absolute & simpliciter est necessarius, licet necessitas non illi ex omnibus causis proveniat, sed tantum ex illa, quæ cum ipso est necessario connexa, quæ reliqua principia ex se indifferentia ad actum & negationem illius, ita determinat, ut non possint in consortio talis principij intrinsecè connexi cum effectu, coniungi cum negatione illius, hæc est enim differentia inter libertatem, & necessitatem effectus, quod necessitas sumi potest ex quocumque principio connexo intrinsecè cum effectu, quantumvis inadæquatum sit tale principium etiam si reliqua principia ex natura sua sint indifferentia ad effectum, & negationem illius; libertas tamen effectus desumenda est ex omni principio ad quod influente secundum se totum, & secundum quodlibet inadæquatum principium inclusum in principio ad quod influente ad actum & ad negationem illius.

8 Alij respondent hoc imperium libertatem non adimere, quia non est simpliciter necessarium ad actum imperium qui dependenter ab imperato existere potuit. Contra: Etiam si hoc imperium necessarium non sit, & sine illo posset fieri actus imperatus de facto tamen ad illum concurrat, & illum præcedit prioritate causæ connexæ cum illo: ergo actus imperatus procedens ab illo, de facto procedit a principio non indifferenti, sed determinato ad sui existentiam: ergo procedit necessario & non liberè, libertas enim, & necessitas effectus sumitur a principio, a quo de facto pendet & non solum ab illo principio, a quo necessario dependere debebat, quia si de facto pendet a principio, a quo posset non dependere, tale principium est prius illo, & si connexionem habeat cum ipso effectu, ille erit necessarius in causa, a qua dependet, quæ necessitas opponitur cum libertate formali effectus.

9 In similibus casibus solent plurimi ad scientiam Dei conditionatam recurrere, qui in præfati dicunt Deum potuisse scientia conditionata præuidisse actum imperatum liberè futurum, ac proinde imperium non posse illi libertatem adimere conditione purificata. Hanc solutionem passim Magistri nostri efficacissime reiciunt in hunc modum. Deus præuidit actum imperatum sub conditione actus imperantis, vel sine illa: si vidit sub conditione imperantis, non potuit liberum adhuc in statu conditionato illi videre, si enim ex existentia absoluta imperantis inferatur existentia absoluta necessario actus imperati, eadè necessitate inferatur in statu conditionato, ideo enim est necessaria hæc conditionalis, *si Sol est, lux est*, quia posito absolute Sole, necessario ponitur existentia absoluta lucis. Si vidit Deus illum actum imperatum sub aliis conditionibus, in quibus non erat imperium, impertinens est illa scientia ad hoc ut posito imperio actus imperatus sit liber, quia iam non purificantur conditiones sub quibus actus ille liber fuerat præuisus, una enim ex conditionibus sub quibus præuidendus est actus, qui in statu conditionato liberè præuidetur, est negatio imperij efficacis, & cuiusvis causæ prædeterminantis ad illum, sicut enim ad hoc ut actus in statu absoluto sit liber, non solum requiritur procedere ab hac cogitatione, sed non procedere ab aliquo comprincipio determinante, ita in statu conditionato præuidendus est sub conditione principiorum ex se indifferentium, & negationis totius principij intrinsecè connexi cum tali effectu liberè futuro. Positis autem diuersis principijs in statu absoluto, ac fuerint præuisa in statu conditionato, non inferatur libertas absoluta ex libertate conditionata, quæ tantum transit in absolutam, quando illius conditiones purificantur: exempli gratia, præuidit Deus scientia conditionata, si ego dederò hanc cogitationem siue imperio efficacis, & siue physica prædeterminatione, erit consensus liber: in statu absoluto dar cogitationem cum physica prædeterminatione, vel cum imperio: non inferatur consensus futurum esse liberum, quia effectus qui liber esset, si non procederet ab imperio efficaci, vel à physica

prædeterminatione, si procedat à quocumque illorum necessarius euadit.

10 Dico secundo. Quando voluntas postquam rectè inspectas habuit naturas actus Iustitiæ, & Misericordiæ, & æquè complacens in utroque efficaciter decernit statuere unum ex his actibus sub disunctione, non potius hunc quam illum, voluntas libera non remanet ad componendum cum hoc actu negationem utriusque actus, est tamen libera & indifferens ad ponendum hunc, potius quam illum, & quemcumque ponat liberè ille procedit ab illa, & totus ille actus secundum omnia prædicata intrinsecè liberè procedit à voluntate, quia omnia prædicata illius sunt identificata identitate physica actus cum speciali differentia illius, quæ potuit à voluntate non procedere, & tota entitas physica huius actus potuit non esse: ergo physice totus ille actus liberè procedit à voluntate. Dixi physice totam entitatem liberè procedere à voluntate libertate physica, quia cum voluntas teneatur elicere alium ex suppositione quod hunc non eliciat, moraliter non reputatur cum plena libertate ad istum, neque libertas cum onere faciendi alium actum, si hunc omittat, æqualem estimabilitatem habet, cum libertate absoluta omittendi, & in ordine ad meritum libertas hæc nullius est momenti, quia in prudentis estimatione nullas gratias agere debeat homini, qui tenetur mihi tribuere aureum unum sub disunctione, & liberè eligit hunc mihi dandum potius quam illum, alium non minoris pretij mihi necessario daturus, si hunc non eligeret. Conducat tamen hæc libertas ad meritum quando est inter actus non æquè bonos, si exerceatur respectu actus magis boni, gratias enim agere debeat homini aliis obligato ad conferendum hoc vel illud bonum, & libero adhuc præ alio præstandum cum maius bonum mihi liberè confert: suæ obligationi satisfactorius si minus, quod conferre poterat, mihi dedisset. De hac re latè Theologi, ubi de merito, præcipue tertia parte disputantes de merito Christi in ordine ad opera præcepta.

11 Dico tertio. De aliis imperijs, quæ immediatè non determinant ad actum imperantem, v.g. de actu quo voluntas dicit, volo elicere actum Iustitiæ vel Temperantiæ, cuius determinationem sibi relinquit per alium actum discernendum, quia nondum illius naturas inspectas habet: & de actu quo dicit voluntas, volo elicere opera præcepta: qui actus medijs alijs determinat hunc actum hic & nunc efficiendum, philosophandum est eodem modo ac de intentione efficaci respectu electionis, & executionis mediorum, concurrunt enim per modum intentionis, ut explicauimus punct. 3. quomodo autem intentio necessitatem electionis inducat dicam Contr. II. Punct. 3.

§. II.

Argumentorum solutio.

12 Obiiciunt 1. Recentiores, qui defendunt actum imperatum esse liberum in hunc modum. Antequam voluntas eliciat actum imperantem est libera ad actum imperatum: ergo si eliciat actum imperatum, actus ille liber euadet. Respond. voluntatem, antequam eliciat actum imperantem esse proximè liberam ad actum imperatum, ac proinde liberè illum elicitor, si illum eliceret ante ipsum actum imperantem, seu independentem ab illo, quando verò aduenit actus imperans, iam voluntas ex vi illius amittit libertatem immediatam, quam habebat, quia libertas actus imperati complebatur per negationem imperantis, quæ destruitur per ipsum actum imperantem, quo posito non manet libertas proxima ad actum imperatum, sed remota in libertate imperantis, quæ imperatum secundariò liberum denominat.

13 Obiicies secundo. Actus odij determinat voluntatem ad omissionem amoris, quam ex suppositione suæ existentie inferat necessario, & tamen ad amorem liberè elicendum non supponitur negatio odij, ergo etiam si imperium prædeterminet ad actum imperatum non supponetur negatio imperij ad actum imperatum liberè elicendum. Respondeo longè disparem esse rationem, quia licet odium connexionem habeat cum negatione amoris, & illam necessario inferat, tamen odium auferibile est per amorem, & voluntas potens est per amorem auferre negationem eiusdem amoris, & odij quæ illam inferebat, & hac de causa non

non supponitur ad amorem negatio odij, neque odium ablatum quia omnia impedimenta actus secundi, quæ per illum destrui possunt non debent supponi ablata ad illum, sic forma quæ impedimentum est respectu contrariæ non debet supponi expulsa ad introductionem contrariæ potentis illam expellere, non enim ad productionem caloris supponitur negatio frigiditatis in subiecto, sepe enim hæc ab illa procedit: impedimenta verò quæ auferri non possunt per actum secundum debent supponi ad illum ablata, cum verò actus imperans non possit auferri per actum imperatum, & ex alio capite illum inferat necessariò illi debet supponi aliunde ablatum, ut actus imperatus possit liber euadere: secundò ad actum amoris non supponitur ex parte principij actus odij neque negatio illius, ac proinde quantumvis odium sit connexum cum negatione amoris non supponitur ad amorem aliquid connexum cum illo, neque cum negatione illius, neque ex parte principij supponitur aliquid prædeterminans alteram contradictionis partem: actus verò imperatus supponit ex parte principij actum imperantem connexum intrinsecè cum imperato, ac proinde procedit à principio determinato ad vnam contradictionis partem. Adde actum liberum imperatum supponere negationem actus imperantis influentis in illum, non tamen negationem actus imperantis secundum suam entitatem nudam, quia si daretur actus imperans non influens in imperatum, illius libertati non obesset, & actum amoris liberum vel necessariū supponeret negationem odij influentis in ipsum amorem, quia non potest actus amoris ab odio procedere, unde sicut actus imperatus liber excludit ex parte principij influentis in illum actum imperantem, sic actus amoris non solum liber, sed etiam necessariū excludit ex parte principij influentis in illum, actum odij, à quo neque liberè neque necessariò procedere potest. Unde ex hoc capite maiorem exclusionem dicit actus amoris odij actus, quam actus imperatus imperantis actus, quia actus imperatus solum excludit ex parte principij actum imperantem, quatenus liber, actus verò amoris quatenus liber, & quatenus necessariū excludit ex parte sui principij actum odij, à quo nullo modo procedere potest. Fateor exclusionem, quam dicit actus imperatus, quatenus liber actus imperantis esse quasi positivam, quia talis actus imperans libertatem illius destrueret; exclusionem verò quam dicit actus amoris actus odij ex parte principij non esse positivam, quia actus odij tenens se ex parte principij actum amoris destrueret; sed quasi negatiuam, quia actus amoris ab actu odij dependere non potest, quia est impossibilis cum sua causa, & quia actus odij virtutem non habet producendi actum amoris.

14 Obiciet tertio. Amor habet necessariam connexionem cum omissione odij, & nihilominus existente amore potest voluntas liberè omittere odium, ergo etiam si actus imperans necessariā habeat connexionem cum imperato, poterit imperatus esse liber adhuc imperante existere. Respondet Hurtadus disputatione centesima trigesima sexta, sectione secunda, subsectione quarta, paragrapho quadragesimo quarto, voluntatem prius omittere liberè odium, deinde supposita omissione libera, elicere amorem, ac proinde hunc non posse inducere necessitatem illius, quæ ante ipsum supponitur libera. Neque ab hac solutione nimis dissentit Ripalda, qui asserit posse amorem esse quin sit causa inducens omissionem odij, quia potest talis omisso amore existente aliunde induci, quam per amorem, videlicet per voluntatem purè omittentem, aut per voluntatem reflexam omissionis.

15 Difficultate solutio non caret, videtur enim in instanti in quo est amor, voluntatem non posse liberè omittere odium, sed hanc omissionem tantum esse liberam remotè libertate, quia amor fuit elicitus, & consequenter videtur non posse produci amorem ex præuisione omissionis liberæ pro eodem instanti, in quo producendus est amor, quod sic probò. Omissionem liberè procedere à voluntate, non importat influxum aliquem positivum, neque actionem aliquam à voluntate in omissionem derivatam, sed tantum entitatem omissionis cum potentia ad actum cuius dicitur omisso, & cum negatione entitatis necessariò connexæ cum omissione; ergo ut videatur omisso odij libera pro hoc instanti debet præuideri in hoc instanti voluntas cum omissione odij, & cum potentia ad odium, & cum negatione totius entitatis necessariò connexæ cum hac omissione, ergo debet præuideri in hoc instanti in quo vi-

detur omisso libera, negatio amoris necessariò connexa cum omissione: ergo in instanti in quo supponitur omisso odij libera debet supponi negatio amoris: ergo implicat ex suppositione omissionis liberæ in hoc instanti, existentia amoris in hoc instanti, quia supposita negatione amoris implicat amor in illa mensura in qua supponitur negatio.

Dices ad omissionem liberam non debere supponi negationem amoris absolūtè, sed negationem amoris determinantis ipsam omissionem, sicut ad actum liberum non debet supponi absolūtè negatio physice determinationis influentis in actum, ac proinde etiam si amor sit in eodem instanti in quo sit omisso odij, dummodò non inducat in illam, talis omisso poterit esse libera. Contra: omissionem esse liberam nihil aliud est quam entitatem omissionis, & voluntatem esse potentem elicere actum cuius est omisso, & non habere principium determinatiuum, neque inter principium determinatiuum omissionis, & illam determinans vlla potest esse distinctio, quia principium determinare omissionem non dicit aliquem influxum supra principium determinatiuum: amor enim per suammet entitatem determinatiuus negationis odij, per eandem est determinans in actu exercito ipsam voluntatem ad negationem odij, & illi adimens totā indifferentiam ad odium, ergo ut voluntas videatur libera ad omittendum debet videri cum negatione illius, quod formaliter aufert indifferentiam per suammet entitatem; ergo debet videri cum negatione absoluta amoris: ergo implicat videri omissionem liberam in hoc instanti, quin in hoc instanti videatur absoluta negatio amoris: ergo implicat amorem intusdi ex præuisione omissionis liberæ, quia hæc essentialiter dicit negationem amoris, quā posita implicat amorem existere.

Exemplum adductum de actu positio rem non conuenit. 17 cit. est enim longè diuersa ratio de actu positio libera, & omissione libera, quia cum actus positio physice procedat à causis, potest videri procedens ab his causis, & ex hac præuisione induci qualitas prædeterminatiua ad talem actum, quæ iam non poterit esse illius causa, quia talis effectus supponitur productus, & cum illius causa, neque circumstantia sit producti onis, quam supponit, non potest libertatem adimere tali actui: omisso verò libera non producit physice, neque secundum suam entitatem dependet ab aliqua causa, neque respectu illius datur aliquid quod sit propriè prius natura, sed tantum interpretatiue dicimus procedere à voluntate, ac proinde procedere dicimus à causis productiuis actus cui omisso opponitur, & inductiuis eiusdem omissionis cum quibus de facto tempore coniungitur.

18 Illud verò quod addit Ripalda, amorem non esse necessariò inducentem negationem odij, quia potest voluntas aliunde supponi determinata ad omissionem odij explicatione indiget. Poterit enim negari amorem posse supponere voluntatè liberè omittentem actum odij propter rationem iam dictam, & concedi posse amorem supponere voluntatem necessariò determinatam ad negationem odij, & simul affirmari amorem tunc etiam iterum determinare voluntatem ad eandem omissionem odij, quia rectè potest voluntas esse ex duplici titulo ad quatuor impedita ad actum odij, quorum quilibet illam determinabit ad omissionem, determinare enim ad omissionem nihil aliud est, quam efficaciter odium impedire. Verum est amorem superuenientem voluntati iam determinatæ necessariò ad omissionem odij, non tollere indifferentiam ad actum, & ad omissionem sed illam ita afficere, ut præcisè ex vi illius quolibet alio secluso necessariò futura sit omisso, & hoc est voluntatem ad omissionem determinare, quod essentialiter non est connexum cum ablatione indifferentiæ, est enim hæc quasi effectus secundarius determinatiuis, quæ ablatio indifferentiæ dicitur quando immediatè indifferentia præcessit, & hæc non præcedente est pura determinatio, sicut non esse lucis dicitur lucis corruptio quando hæc immediatè præcessit, quod si lux non præcessit immediatè ipsius non esse dicitur. Expulso enim in esse expulsiōis completur per extrinsecam denominationem: sic determinatio, quæ est non esse indifferentiæ, expulsiō indifferentiæ dicitur seu ablatio illius, quando indifferentia immediatè præcessit, & aliunde prius non supponitur ablata, addit enim ablatio indifferentiæ supra determinationem extrinsecam quādam denominationem desumptam

desumptam ex indifferentia precedente, & aliunde non ablata.

19 Ad argumentum contra nostram conclusionem adductum facilis est solutio, quidquid sit de precedenti, negando voluntatem liberè omittere odium in instanti, in quo elicit amorem obiecti, libertate proxima & immediata odij, tantum enim illa omisso est libera, quatenus liber est amor illam inducens, quod si ante amorem voluntas se determinauerat ad omittendum per actum quo dixerat, volo omittere, illa determinatio positiua, seu ille actus quo reflexè amabatur omisso, libertatem habebit, quam posset habere etiam, si amorem non prederet, quia amor non illum inducit, ipsa tamen omisso in se est necessaria, neque talis volitio reflexa quidquam conducere posset ad propriam libertatem immediatam omissionis, sed potius si efficax esset illam destrueret.

20 Obiicit, quod si actus imperans, libertatem adimit imperato: ergo si quis morte imminente ex affectu poenitentiae imperaret efficaciter charitatem, talis actus charitatis liber non esset: ergo non haberet meritum charitatis: ergo talis homo non consequeretur suam iustificationem, vel si illam consequeretur, eandem esset consequuturus, si posito imperio efficaci charitatis, charitatem non eliceret ex defectu habitus, vel auxilij extrinseci, quia in utroque casu eandem exercebat libertatem. Multa inuoluntur in hac obiectione, quæ breuiter attingam, & Theologis latius expendenda remittam, quia captum Philosophi superant. Opinatur P. Vasquez, quem plurimi sequuntur actum contritionis perfectæ per se ipsum esse formam sanctificantem, in qua sententia obiectio nullam vim habet, quia licet contritio non haberet proprium meritum, per suam entitatem hominem sanctum redderet, quam sanctitatem non haberet homo ille, quatenus illam efficaciter imperaret, si de facto illam non eliceret, quia effectus formalis Physicus formæ, non datur per imperium formæ, sed per ipsam formam. Sentiant alij effectum charitatis non posse efficaciter imperari ab actu alijs virtutis, in hanc sententiam inclinat Hurtadus supra §. 50. illam tenent Doctores relati punct. 1. §. 2. num. 13. asserentes actum perfectioris virtutis non posse imperari ab actu virtutis imperfectioris, ex quo inferitur actum charitatis perfectissimum omnium actuum à nullo posse imperari. Defendit Ripalda supra sect. 4. actum imperantem non adimere proprium meritum actui imperato, etiam si illum expoliet libertate, & asserit actum internum, & actionem externam addere meritum supra actum efficaciter imperantem, ita ut distinctum præmium corresponderet largitioni elemosynæ, à præmio respondente actui interno illam imperanti, & distinctum actui misericordie, à præmio respondente actui charitatis illum efficaciter imperanti: pro qua opinione adducit Scotum cum suis, quæ respectu actuum interiorum maius fundamentum habet quam respectu actionum exteriorum, quia actus interni intrinsecè motuum honestum respiciunt distinctum in imperato, & imperante, ac proinde libertas cadens, licet secundario, supra actum imperatum, cadit supra maiorem honestatem, quam si solum afficeret actum imperantem, ac proinde maius meritum potest constituere, quod non est in imperio actionis externæ, quæ ex se nullum motuum respicit. Iuxta hanc sententiam nullam vim habet proposita obiectio. Sentiant alij actum contritionis esse physicam dispositionem ad habitum gratiæ, & iuxta hanc sententiam homo ille eliciens actum contritionis, etiam si ne propria libertate iustificationem obtineret non per modum meriti, sed quia poneret dispositionem physicam, quam necessariò consequitur forma. Vltimò si nulla ex his sententijs admittatur, dici poterit Deum acceptare meritum illud hominis elicientis necessariò actum charitatis, ex imperio libero actus poenitentiae ad gratiam habitualement conferendam, quia cum gratia habitualis detur homini peccatori, non ut præmium meriti de condigno, sed de congruo, poterit intuitu maioris minorisve meriti conferri ex voluntate Dei, cum nullum meritum gratiæ, quia homo de facto sit iustus illam de condigno promeretur: ita sentit Hurtadus supra.

21 Vltimò aduerto, quod etiam si concedatur idem præmium respondere homini iusto vel peccatori imperanti ex se efficaciter per actum charitatis actum misericordie, siue eliciat actum misericordie, siue non illum eliciat ex impotentia physica, non ideo concedi correspondere ho-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1. l.

mini illi imperanti efficaciter actum misericordie, quod tribueretur, si actum misericordie, & actum charitatis liberè eliceret, quia actus misericordie elicitus ab imperio charitatis meritum non habet distinctum ab imperio charitatis, quod haberet si procederet independenter ab illo, & ob hanc rationem, qui efficaciter desiderat elicere actum virtutis, quem non elicit, non meretur id quod mereretur, si talem actum liberè eliceret, quia tale imperium efficax non potest esse actus liberè eliciendi, implicat enim actum in sensu composito liberum imperari, posset tamen concedi, si opus imperatum adhuc non addat meritum supra internum imperium, hominem efficaciter imperantem ex charitate actum misericordie idem præmium reportaturum, si actum imperatum eliciat, siue illum ex defectu concursus, vel ex alio capite non eliciat. Hæc ad Theologum attinent, ideo illa non probo, sed refero, ne meus Philosophus terminis Theologicis non auditis terreatur.

PUNCTUM V.

De influxu imperij inefficaci,

Vbi maximum fundamentum exhibetur ad omissionem liberam, & ex motu defendendam.

Difficultatem hanc diligenter inquiram, ex illa enim pendet solutio alijs celebris, præcipuè inter nostros recentiores, de influxu voluntatis in puram omissionem.

§. I.

Status difficultatis proponitur.

Actus reflexus voluntatis alium actum eiusdem potentie tanquam obiectum respiciens, illiusque existentiam determinans actus imperans dicitur respectu sui obiecti, in quod influit, procedit enim actus imperatus ab imperante determinatus, v.g. actus quo ego volo elicere contritionem propter iustificationem consequendam imperans est respectu contritionis, ut iam vidimus supra. Est difficultas, quæ sit causalitas, mediâ quâ imperans influit in imperatum, quidve in rerum natura ponatur, ratione cuius dicamus hunc actum contritionis provenire ab alio actu imperante. Procedit quæstio tam respectu actus imperantis efficaciter, quam inefficacis, ex suppositione quod datur imperium efficax, & inefficax respectu actuum eiusdem potentie volutiæ, & videtur difficultas præcipuè in imperio inefficaci, quod potest esse cum effectu, & sine illo, & connexionem non habet necessariam cum actu imperato, & fortiter premit, cum ponuntur duo imperia inefficacia respectu eiusdem actus imperati, verbi gratia, habet quis actum imperantem, quo dicit, volo elicere actum contritionis propter meam iustificationem consequendam, & simul alium actum quo dicit, volo elicere contritionem propter obediendum legi, quâ teneor contritionem elicere. Supponamus positis his duobus imperiis hominem contritionem elicere, quæ potest à quolibet illorum imperiorum procedere, & non procedere, & ab vno procedere, & non ab alio, quid speciale erit in contritione quando procedit ab actu illam imperante propter propriam iustificationem, quod non haberet si imperaretur non ab illo actu sed ab alio respiciente legis obediendum, quidve quando ab utroque, vel à neutro contritio procedat.

In actu imperij efficacis respectu actus imperati, facilius apparet quæstionis solutio, quia cum de ratione imperij efficacis sit connexio cum actu imperato, videtur non posse dari imperium efficax sine actu imperato procedente ab illo, ac proinde posito imperante, & imperato, necessarium est hunc procedere ab illo, ac proinde dici poterit hanc processionem, seu dependentiam consistere in coexistentia duorum actuum. Nihilominus adhuc in imperio efficaci difficultate non vacat nostra quæstio, quia multi volunt de ratione imperij efficacis non esse actum influere, & determinare actum imperatum, sed tantum ad illum determinare sub conditione, quod non esset extiturus. Vnde si ego à me, vel à Deo determinatus, contritionem elicerem, & simul

M habetrem

haberem imperium efficacis contritionis, hoc imperium determinaret ad contritionem, neque in illam influeret; ita Ripalda libro tertio de ente supernaturali, disputatione sexagesima septima, sectione tertia, numero sexto. Rectè explicatur hæc doctrina exemplo intentionis, quæ determinat ad amorem mediorum, quæ non supponuntur non verò ad amanda illa, quæ independenter ab intentione existentiam habent, unde qui intendit equester ire Matritum, si iam supponatur habere equum non tenetur equum quærere, nec illius acquisitionem, seu possessionem eligere ad iter agendum. Ex quo videtur inferri influxum actus efficaciter imperantis non consistere in similitudine illius cum actu imperato.

- 3 Dicam in quo consistat influxus actus imperantis efficacis & inefficacis, qui actum imperatum respicit tanquam obiectum, quod reflexè amatur; aliud enim imperium, quod defendit Ripalda disput. 66. section. 3. num. 14. sine hac reflexione per amorem directum obiecti externi, ad quod potest conducere alius actus voluntatis, verbigratia, actus amoris Dei, qui immediatè moueat ad implementationem legis propter motuum alicuius specialis virtutis, dicam influere per modum intentionis efficacis respectu finis mediæ electione; influxum verò intentionis in electionem, medium electum & executionem finis explicabo Controuerf. 11. Punct. 6.

S. II.

Thomistarum sententia euertitur.

- 4 Nonnulli Thomistæ quos refert Lorca, l. 2. q. 114 inter quos Zumel l. 2. q. 114. art. 4. disp. 2. in append. conclus. 3. docent actum imperantem impingere nescio quem modum superadditum actui imperato, ratione cuius constituitur dependens ab imperante & imperatus dicitur.

- 5 Hanc opinionem iure optimo relictur omnes nostri Auctores, tanquam destitutam omni fundamento, & manifestè rationi oppositam, quod sic probant: absque illo modo superaddito rectè intelligitur actus imperatus procedens ab actu imperante: ergo absque fundamento talis modus physicus constituitur. Secundò, quia intelligi nequit quid sit modus ille, quo actus imperatus constituitur in ratione imperati, non enim potest esse supernaturalis, quia sæpe actus naturalis imperat actum supernaturalem, & ratio imperij procedit ab actu naturali, nulla verò entitas naturalis potest quid supernaturale producere; Deinde non potest esse naturalis, quia sæpe procedit imperium ab actu supernaturali, & ordinatur ad finem supernaturelem; ergo debet esse supernaturalis. Neque potest esse relatio transcendentalis inhærens actui, quia omnis relatio transcendentalis non respicit terminum ut purè terminum, sed aliquam denominationem illi tribuit, & aliquid circa illud præstat, nihilque potest præstare actui talis modus circa obiectum, nisi illud appetendo: quod si hoc præstet, illa ratio imperij formaliter erit actus voluntatis: non est autem intelligibilis affectus voluntatis affectui inhærens.

- 6 His rationibus sententiam Thomistarum impugnat Ripalda disp. 60. citata sectione, quibus ego minime acquiesco, & si fortior mihi alia non esset, illam amplecterer, ut rem ex difficilioribus totius Philosophiæ clarè explicarem. Rationes adductas expendam, & propriam dabo. Ad primam dicent Thomistæ maximo fundamento, & summa necessitate assignari hunc modum, quia sine illo non potest solui præsens difficultas, neque aliquid assignari per quod constituitur actus imperatus ab imperante procedens. Frigidum autem erit argumentum, quo tu probes inuenisse modum alium constitutum imperij passiu in actu imperato: quicunque enim excogitatur non sine difficultate defenditur, tantum abest ut efficaciter possit conuinci, talem modum esse sufficientem, & aptiorem ad imperium defendendum modo illo superaddito à Thomistis inuenio.

- 7 Minus urget secunda ratio, qua modus hic reicitur, quia illius natura non cognoscitur, & non potest esse naturalis, neque supernaturalis propter rationes suprà adductas. Respondeo pro Thomistis, modum illum actui imperato adiunctum fore naturalem, si procedat ab actu imperante naturali, neque inconueniens esse modum naturalem constituere actum supernaturalem formaliter imper-

atum: si inconueniens non est actum supernaturalem imperari actu naturali, in opinione Ripaldæ, præcipuum ipsa admittat habitum naturalem reddere potentiam facilem ad actus supernaturales, ad quos naturalis habitus ab actibus naturaliter productis effectiue concurrunt. Thomistæ verò negantes actum supernaturalem posse imperari actu naturali rectè defendunt imperium formale actus supernaturalis esse supernaturale, quia semper ab actu supernaturali procedit. Si constituitur actus imperans, & imperatus supernaturalis, facile poterit defendi modum illum superadditum imperij esse supernaturalem. Vltimò si actus imperans sit supernaturalis, & imperatus naturalis dici poterit modum imperij esse naturalem, qui ordinatur ad constituendum imperatum naturalem actum, neque inconueniens fuisse productum ab actu supernaturali: sæpe enim reperit Ripalda entitatem supernaturalem posse entitatem naturalem producere sicut in sua opinione contingit in actibus supernaturalibus, qui intendunt naturalem habitum productum ab actibus naturalibus respicientibus idem formale obiectum. Ex his constat modum illum respicientem actum imperatum quem infirmat, vel imperantem à quo procedit, posse esse naturalem, si tamen respicit utrumque actum, tam imperatum, quam imperantem supernaturalem, optimè poterit illi supernaturalitas competere. Vltimò, quod adducitur in relatione transcendentali, doctrina iam tradita, alia non indiget solutione, quia modus ille iuxta dicta immediatè respicit actum, quem constituit imperatum, & medio hoc, & non alio modo obiectum, sicut præsentia cognitionis, respicit ipsam cognitionem, quam præsentem constituit, & non obiectum, nisi remotè, quia respicit cognitionem respicientem obiectum.

Efficacius contra hunc modum superadditum arguo. 8 Modus iste est superadditus actui imperato: ergo supponit substantiam actus imperati tanquam subiectum, ergo supponit illam iam productam à suis causis. Antecedens est aduersariorum conclusio, prior consequentia vix ab ea adhuc formaliter differt, & ex ipsis terminis patet, posterior vndequeque est firmissima, quia quidquid supponitur existens, debet supponi dependens à suis causis, & procedens ab illis si non sit ens increatum, cum ad existentiam rei necessariò supponatur actio, medià quā à suis causis recipit esse. His factis illationibus procedit argumentum; modus ille supponit subiectum iam productum & dependens à suis causis, ergo non potest illud constituere dependens ab illis. Probo consequentiam, dependentia actus imperati à suis causis est prior illo modo: ergo non potest esse illo posterior, & ab illis dependere.

Dices modum illum supponere actum dependentem ab aliis causis, à quibus illum non constituit dependentem, non tamen illum supponere dependentem ab actu imperante, ac proinde posse ab hoc illum dependentem constituere. Contra: actus imperans per se & immediatè non influit imperatum, sed imperat aliis principiis, ut influant in illum, & quia reliqua principia ab imperante determinata in illum influunt, dicitur actus imperatus ab imperante dependere: ergo modus ille, qui non potest constituere actum imperantem dependentem ab aliis principiis, non poterit eum ab actu imperante dependentem constituere: sed sic est quod modus ille supponit actum imperatum dependentem ab aliis principiis, ut probaui, ergo non potest esse ratio ut ab illis dependeat, ergo neque ut ab imperante, quia ab hoc non nisi mediis illis dependet.

Non restat aliud latibulum præter illud Thomistis satis notum, de diuerso causarum genere, in quibus affirmant rem posse esse priorem & posteriorem, quod præclufi in Physica, illud tamen libens modò Thomistis aperio, quos intra illud insequor. Actus imperatus supponitur in genere causæ materialis ad hunc modum à Thomistis inuentum: ergo etiam si ex vi illius, quod supponitur ad hunc modum non supponatur actus ille dependens à causa efficiente (quod nunquam concipere valeo) saltem in illo priori supponitur actus determinatus, ut in alio signo efficienter dependeat, quia implicat esse in hoc signo in genere causæ materialis, quin saltem in alio sit dependens in genere causæ efficientis: ergo antequam existat modus ille ex vi entitatis actus quatenus suppositus in genere causæ materialis intelligitur determinatus, ut existat, & ut dependeat saltem in alio signo: ergo non poterit imperium illud

illud determinare, ut existat, & ut dependeat, vel saltem eodem modo existeret, & dependeret, siue modus ille illi adueniat, siue non adueniat, ergo nunquam ita erit actus imperatus ex vi imperantis, ut hoc deficiente ille deficeret.

§. III.

Recentes nostra Societatis impugnantur.

10 **R**ecentiores ex nostris apud Ripald. suprà, cum nihil inuenirent, quo posset actus imperatus constitui in actu secundo ab imperante dependens, neque aliquid superadditum auderent actui imperato concedere, ad actiones recurrerunt, asseruntque actum constitui imperatum ex vi huius actionis, mediâ quâ non procederet ab efficiente, si imperatus non esset, sed mediâ aliâ, quâ à nullo posset imperari, quia hoc quod est imperari, & non imperari intrinsecum est actionibus, & illis comperens per suasmet entitates.

11 Nouum non est in similibus angustiis, cum nullus effectus neque accidens superadditum posset inueniri ad formalitatem constituendam, solamen ab actionibus petere: sic P. Lugo grauissimâ si qua est in rephilosophica difficultate oppressus durationis assignanda, eidem entitati potenti in diuerso tempore durare ad actiones configit. de Incarnatione disp. 19. sect. 1. n. 20. ubi dixit rem habere hanc durationem esse per hanc actionem à suo efficiente dependere. P. Herice disp. 17. c. 2. n. 30. ut assignaret aliquid speciale in gratia destruentem peccatum veniale, diuersam actionem constituit, quâ producit gratia intra sacramentum destruens veniale peccatum ab actione, quâ extra sacramentum gratia producit, & cum veniali componitur. Eodem modo ibidem disp. 19. diuersa connotata dedit decretis, quibus Deus ex diuerso motu eundem effectum producebat petita ex diuersitate actionum. Et noster Arrubal tom. 1. p. disp. 38. c. 4. & 5. hanc diuersam connotata constituit ex diuersitate actionum, quàm ex diuerso fine operantis venatur.

12 Hanc diuersitatem actionum, quam prædicti Recentiores ex relatis Magistris desumere potuerunt multis reiciunt. In primis eodem modo possent prædicti Recentiores constituere actus per suasmet entitates imperatos, ac constituerent actiones; sicut enim ipsi asserunt hanc actionem non posse non esse imperatam, & aliam fore, & non istam si in voluntate non præcessisset imperium, cur non dicent hunc actum per se ipsum esse imperatum, & alium fore, & non istum, si voluntas actum imperij non eliciuisset eadem enim de actione, & de ipso actu est difficultas, sicut enim non possumus experientiâ conuincere hanc eandem numero actionem posse imperari, & non imperari, sic non poterimus eadem id de actu demonstrare. Rationes autem quibus diuersitas actionum posset impugnari, & propugnari, eadem actibus valent applicari. Adde in opinione maioris partis Philosophorum actum veniale in suo conceptu essentiali dicere actionem, ac proinde non posse dari diuersam actionem sine actus diuersitate.

13 Secundò, eandem opinionem impugno. Actus imperans per se & immediate non influit physicè in actum imperatum, sed determinat seu inuitat alia principia ut illi producant, ergo non diuersificat actionem. Probo consequentiam: quidquid principia faciunt determinata ab hoc principio, possunt immediate à se ipsis determinata facere, sicut possum ego eandem actionem exercere determinatus ab alio agente extrinseco, vel à me ipso liberè talem actionem intendente, ergo possunt principia producentia actum imperatum determinata ab imperante eundem actum producere, actu imperante non præcedenti, sed à se ipsis determinata, vel à Deo prædefiniende actionem, quam principia libera adiuta imperio, vel illo destituta posset elicere.

14 Actionitas omnes trahit vmbra negationum insequitur, quæ illos sæpe modò vexauit, & eodem rerum non esse illorum rationem confodit, & illorum sententiam ad mille non esse reduxit, sic idem argumentum in hac materia institui, quod quàm plures Theologi contra Arrubalem & Herice relatos validissimè tradunt. Omissio actus potest esse libera absq. vilo imperio, & potest ab imperio procedere, possum enim ego fortè omittere determinatus actu voluntatis, quo dicam, volo omittere actum voluntatis tendentem in futurum propter Deum summè bonum, & possum omittere eundem actum internum furti absque hoc actu imperij reflexo. In quo casu omissio procedit ab im-

Francisc. de Omeda Philosoph. Tom. II.

perio, in altero erit independens ab illo, in utroque est eadem negatio actionis, quia est negatio totius actus tendentis in futurum, & nulla reperitur actio positiua: ergo omissio quæ potest esse independens ab imperio constituitur dependens absque noua actione, ergo non est necessaria noua actio, ut idem actus, qui erat independens ab imperio, constituitur dependens.

15 Dices non esse necessariam hanc actionem in negatione, in qua non potest noua excogitari actio, secus in actu positiuo, qui verè per actionem dependet & per diuersas dependere potest. Contrà, in omissione respectu cuius non potest dari noua actio, non requiritur hæc, ut constituitur dependens ab imperio: ergo in actu positiuo, in quo possibilis est actio non requiritur, sic enim arguo: eadem omissio omnino intrinsecè inuariata potest imperari, & non imperari: ergo eadem actio intrinsecè inuariata poterit imperari, & non imperari. Rursus omnes tenentur assignare in omissione per quod constituitur dependens ab imperio siue vlla actionis variatione: ergo modus ille omissioni assignatus, in quo illius dependentia ab imperio consistit, poterit esse communis actui positiuo, cuius dependentia ab imperante per eundem modum poterit explicari.

§. IV.

Ripalda sententia exponitur, illiusque fundamenta soluntur.

16 **P**ater Martinez de Ripalda dictâ disp. 67. sect. 3. asserit actum imperatum procedere ab imperante, non esse aliud, quàm mouente imperante fieri imperatum, & voluntate non elicitur, nisi imperans rapuisset. Quare tria importat hic influxus: existentiam actus imperantis in actu primo mouentis; existentiam actus imperati, seu potentis imperari; & veritatem conditionatam, quæ verum est dicere, si non esset actus imperans non esset imperatus. Vnde si sunt duo imperia respectu eiusdem actus imperati, illud imperans influit in imperatum, respectu cuius verum fit dicere, si non esset hoc imperans hic & nunc, neque aliud supplens vices illius, non esset actus imperatus: exempli gratiâ, est actus imperij quo ego dico, volo elicere amorè propter propriam iustificationem, hunc comitatur alius actus imperij, quo ego dico volo elicere actum amoris Dei propter adimplendum præceptum, de dilectione Dei, elicio de facto dilectionem. Si verum fit dicere, secluso imperio respiciente adimpletionem legis, existeret actus amoris, non existeret si simul remoueretur imperiū respiciens propriam iustificationem, certum est hoc imperium iustificationem respiciens influere adequatè in actum amoris, rursum si verum fit, si deficeret quilibet horum actuum imperantium, dummodò permaneret alter, esset actus imperatus, non futurus si vterque deficeret, tunc diceretur vtrique imperium adequatè influere in imperatum, tandem si ex defectu cuiuslibet actus imperantis, etiam si alter permaneret, non esset futurus actus imperatus, qui est modò, tunc nullum imperium adequatè influeret in imperatum, sed ab utroque adequatè actus imperatus adequatè dependeret, & à quolibet inaduatè. Quando actus imperans vnicus est, facilius cognoscitur influxus, si enim verum fit dicere, si imperans non esset, non esset actus imperatus, in imperatum influit, si autem verè dicatur, etiam si non esset actus imperans hic & nunc esset imperatus, imperans in imperatum non influit.

17 Ex his deducit Ripalda processionem quasi passiuam actus imperati, dicere in recto ipsum actum imperatum, & in obliquo actum imperantem, & veritatem conditionatam suprà explicatam. Eodem modo explicat Ripalda influxum cognitionis, & affectus, seu motus præuenientis libertatem in actum liberum. Sed notat doctrina suprà traditâ tantum explicari influxum actualem actus voluntatis à cogitatione, & affectu non per se, & essentialiter requisitis ad elicentiam actus, quia in his quæ per se requiruntur semper necessaria veritas conditionata, si talis affectus, seu talis cogitatio non existunt, non daretur actus voluntatis. Vnde ex hac veritate non possumus deducere influxum in actum, sed totus in his desumendus ex ipsa entitate necessaria ad actum, & ex veritate conditionata, quæ verum est voluntatem his positis esse consenturam: neque inspicienda est alia veritas, videlicet, si hæc non poneretur non esset consensus, quia hæc necessaria & communis cogitationi, & actui influxuro, & non influxuro.

M 2

Quare,

Quare, ait Ripalda, nostræ Societatis schola defumens efficaciam cognitionis ex defectu conditionatæ futuro, intelligenda est de cogitatione per se necessariò requisitâ ad actum. Vltimò concludit influxum actuale actus necessarij, seu liberi imperij voluntatis, & cogitationum in actû, ad quem necessariò non requiruntur, dicere veritates conditionatas suprà explicatas; influxum verò cogitationis seu actus voluntatis in actum qui non potest fieri sine illis, tantum dicere similitudinem eorum, quæ per se requiruntur ad effectum cum entitate ipsius effectus. His fideliter opinionem retuli Ripaldæ defumptam ex sect. 3. vbi eam tradit ex doctrina tradita sect. 5. ad argumentorum solutionem.

18 Laudo Ripaldæ opinionem, quam ingeniosè excogitauit & acutè explicuit Auctor, illi tamen non acquiesco, quia verbis pulchra omnino, re vacua est: rationem huius Auctoris solam & postea illum propriis impugnabo.

19 Probat sententiam sic explicatam, quia nullus alius superest modus quo explicetur influxus imperantis ab imperato. Infirmitas argumentandi modus, qui in defectum alius bonæ sententiæ vult suam principem constituere. Respondeo alium mihi superesse modum, quem postea dabo, & si mihi neque alicui alius superesset, responderem dato antecedenti negando consequentiam, & affirmarem verum modum, quo influunt actus imperantes in imperatos, omnibus fuisse ignotum, non enim ex eo quod veram rationem alicuius rei non inueniremus, sinistram aliam admittere debemus. Addit nos non posse apprehendere voluntatem exerceri per actum imperatum, influente in illum actum imperante per conditionatum euentum, quin apprehendamus actum conditionatum respicere extrinsecè finem operantis, ex quo inferretur ab illo explicari imperium voluntatis per conditionatum euentum. Respondeo non posse apprehendi actum imperantem influere in imperatum, quin imperatus respiciat extrinsecè finem imperantis, siue imperans influat in imperatum per euentum conditionatum, siue quocumque alio modo, non tamen rectè apprehendi actum imperantem influere in imperatum, medio conditionato euentu, ac proinde non apprehendi imperantem medio euentu conditionato respicere adhuc extrinsecè finem imperantis.

20 Tertio probat suam conclusionem ex communi hominum apprehensione. Eo enim ipso, quod apprehendamus affectum alicuius finis totaliter mouere voluntatem, ita vt eâ motione positâ, voluntas operetur actum, non operatur motione deficiente, iudicamus voluntatem inductam fuisse ad operandum ex vi talis motionis, & donec ista perpendamus, non iudicamus voluntatem fuisse inductam ex tali motione. Præterea hac ratione iudicamus an consilium Petri fuerit efficax erga Ioannem: si enim illo posito videmus poni effectum, quem iudicamus non fuisse ponendum, si abesset consilium, rectè effectus consilio tribuitur, quod si videmus Petrum & Ioannem eandem rem consilium Antonio, & cognoscimus deficiente consilio Petri illam rem esse futuram permanente Ioannis consilio, dicimus consilium Petri efficax non fuisse, & effectum re verâ à consilio Ioannis dimanasse: ergo rectè ex his conditionatis euentibus arguimus influxum actus imperantis in imperatum.

21 Respondeo communem hominum apprehensionem rectè Doctorum ratione debere corrigi vel approbari, qui tenentur rationem reddere illarum rerum, quas imperitum vulgus sine examine probat, quod in hac materia inquirimus, & ex hominum apprehensione defumi non potest. Aliud enim est, quotiescumque est talis euentus conditionatus est influxus; aliud influxum constitui per ipsum euentum conditionatum: primum enim etsi falsum, non omnino fundamento saltem apparenti destitutum est; secundum valde à ratione alienum, vt probabo: vltimò nego ex euentu conditionato posse sumi certam regulam ad influxum actus imperantis in imperatum cognoscendum, licet enim hæc sit bona consequentia: Posito actu imperante datur actus, qui non daretur illo deficiente: ergo actus imperans influit in imperatum: Hæc tamen non est bona: Posito actu imperante datur actus, qui daretur etiam si non esset actus imperans; ergo hic non influit in illum. Rationem hanc latius contra hanc opinionem postea expendam.

Contra hunc influxum actum imperantium in imperatos per euentum conditionatum sic arguo. Procedere modò actum, v.g. abstinentiæ ex imperio penitentiae est aliquid modò absolute existens: ergo non potest consistere in euentu, qui non existit, sed qui existeret posita conditione; quæ nunquam purificabitur, neque iam purificari potest, est enim euentus, ex quo sumitur influxus imperantis in imperatum, qui modò elicitur, negotio imperati, qui nunc esset si non daretur imperans, & imperatus, nunquam purificabitur conditio, quæ ex suppositione existentis imperantis implicat purificari, neque erit talis euenus ex defectu conditionis, & ex eo quod iam supponitur existentia actus imperati, quâ posita repugnat consequenter illius negatio. Antecedens est certum, quia actus imperatus de facto hic & nunc ab imperante procedit. Consequentia videtur necessaria: id enim quod existit, non potest identificari cum euentu, qui non existit, neque existet; sed tantum existeret. Verge eandem rationem: euenus ille absolute non existit, & verè de illo dicitur, nunc absolute non est; de influxu autem verè dicitur nunc esse: ergo euentus & influxus distinguuntur: de eadem enim dici non potest absolute existeret, & absolute non existeret. Rursus arguo, Influxus vel consistit in toto illo complexo, si non esset actus imperans, non esset imperatus, ita vt identificetur cum conditione, & euentu sub ipsa futuro, vel tantum cum euentu: neutrum dici potest: ergo non potest in tali conditionato influxus consistere. Minorem probabo, conditio est negatio imperantis, & conditionatus euentus est negatio imperati: sed negatio imperantis non potest neque inadæquatè identificari cum influxu eiusdem imperantis, quia talis influxus essentialiter dicit imperantem actum; ergo essentialiter excludit illius negationem: ergo neque inadæquatè potest cum illa identificari: neque negatio imperati aliquo modo potest in ipsum actum imperatum influere, quia influxus in imperatum dicit essentialiter ipsum actum imperatum excludentem negationem sui.

Dices influxum in actum imperatum connotare existentiam absolutam actus imperati, quæ non opponitur cum negatione conditionata eiusdem: Contra: negatio absoluta, & conditionata est eadem in diuerso statu seu diuerso modo cognita, & semper negatio dicit non esse eiusdem rei. Fateor tamen non opponi existentiam absolutam cum negatione conditionata, ita vt non possit esse existentia absoluta, & negatio conditionata, hoc tamen non prouenit ex eo quod non opponatur existentia cum illa negatione, quæ dicitur conditionata, sed ex eo, quod purè conditionatum non est, sed effectus; quod autem non est non opponitur, neque aliud destruit. Sed sciamus non opponi: nihilominus, quis dicit negationem actus in quocumque statu siue absolute, siue conditionate consideratam influere in ipsum actum & eandem entitatem dependere à non esse sui? hoc sanè lumine naturæ plusquam falsum apparet, totique Philosophiæ, & hominum apprehensioni repugnans.

Mitius posset agi cum hac opinione, si diceret influxus non esse ipsum euentum conditionatè futurum, sed explicari per illum, & ex ipso inferri. Contra hunc dicendi modum, quo non semel vidi recentiores intendere huic difficultati satisfacere, sic obijciendum. Influxus ille non consistit in euentu conditionato, sed inferitur ex illo: ergo est aliquid distinctum ab euentu conditionato; dicant huius sententiæ Auctores, quidnam sit illud. Respondent rem amplius non posse declarari. Credo in hac sententia rem vltra explicari non potuisse, nego tamen illam non posse magis explicari. Tandem reiciendus est hic modus cognoscendi influxum actus imperantis in imperatum, quia adhuc non potest deferuire euentus conditionatus ad hunc influxum inferendum vt supra tetigi & iam expendo, argumento contra prædictam sententiam valde efficaci.

Potest homo præueniri cogitatione sufficienti & efficaci ad eliciendum liberè actum independentem à quocumque imperio, potest simul præuenire cū imperio comitante cogitationem, & actû elicere, allectus cogitatione efficaci & imperio, vel tantum elicere actû determinatè à cogitatione, & non ab imperio, quod in principis huius Auctoris nequit negari, ex eo enim quod principia distincta ab imperio essent effectum habitura independentem ab illo, non im pediret

impeditur influxus imperij, fatetur enim num. 56. posse eundem actum adequatè provenire à duplici cogitatione; neque in alio extremo potest esse difficultas, quia imperium ex se nullam habet connexionem cum actu, & potest cum illo coniungi, ut sepe admisit hic auctor, & non influere in illum: tamen in utroque casu idem esset eventus conditionatus & diversus influxus; ergo ex euentu conditionato non semper rectè arguitur influxus. In utroque casu eundem fore euentum conditionatum probo: casu quo actus imperans nō influeret in imperatum, deficiente imperante permaneret actus imperatus, dummodo permaneret cognitio; casu autem quo influeret, etiam si auferretur idem actus imperans, dummodo permaneret cognitio, eodem modo permaneret actus imperatus, quia ut dicebam talis actus adequatè dependebat à cognitione; si verò cognitio tollatur, in quocumque casu, siue actus imperans influat, siue non influat, actus imperatus non permanebit, quia dependet essentialiter à cognitione: ergo quando actus imperatus, qui sine imperio potuit fieri, dependet adequatè à cognitione, eadem est veritas conditionata, siue imperans influat, siue non influat, ergo diversitas influendi non potest sumi ex diversitate veritatis conditionatæ, siquidem cum eadem veritate conditionata potest actus imperans influere & non influere.

26 Responderet aliquis casu, quo actus imperans non influeret in imperatum, ablato imperio, permanens actum cum eadem dependentia, quam antea habebat. Casu verò quo imperans influeret, non permanens actum eadem dependentia ab imperante, quam habebat, dum erat actus imperans, sed solum cum dependentia à cognitione. Annuo: sed inquit quid sit actum habere existentem imperante dependentiam, quæ caret, illo imperante deficiente? quid, habere diversam dependentiam quando existit imperans. & quando non existit, hoc est, quid sit existente sola cogitatione actum existere ex vi solius cogitationis, & existente cogitatione, & imperio aliquando existere actum ex vi cogitationis, & imperij, & aliquando solum ex vi cogitationis? Certè non est euentus conditionatus, quia in his casibus semper est idem conditionatus euentus.

27 Verge eandem rationem: Suppono posito actu imperante simul cum cogitatione ex se sufficiente mouere ad actum, & posito actu imperato provenire inadæquatè hunc actum ab illo imperio, & illà cogitatione; quæ suppositione facta, videtur non adde premi Ripaldam argumento supra facto, neque ex hac suppositione, aliquod deducitur inconueniens, sic enim rem necessariò semper contingere postea probabo, & per se contingere nullus negat: in hoc casu, si auferretur actus imperans, posset voluntas ab actu imperato cessare, quia ille dependebat à duplici causa inadæquata, & una ablata, et si alia potens esset adequatè illum producere, cum sit libera, potest talem actum non elicere. Deinde posset tali imperio ablato permanere idem actus qui antea imperabatur, & cogitatio, quæ in illum inadæquatè influere, incipere adequatè in illum influere, quia cum sufficiens sit illum elicere, & voluntas maneret, illo imperio ablato, libera ad actum elicendum, illum posset elicere eodem modo ac elicit plures actus sine aliquo imperio, quos eliceret ex vi imperij, si hoc haberet ad illos: ergo cum eodem influxu potest esse diversa veritas conditionata, & hæc est mala consequentia: ablato imperio permanet actus: ergo actus non dependebat ab imperio, quia actus qui antea dependebat ab imperio, potest modo permanere cum dependentia à cognitione. Nec valet responderi influxum imperij expectandum esse, non solum ex eo, quod illo ablato, & nullo alio substituente vices illius, non permaneat actus, quia in hoc casu id, quod potest fingi substitutum imperij est cogitatio, & hac deficiente necessario deficit actus, qui essentialiter ab illa dependet, siue sit, vel non sit, influat vel non influat, simul cum illa actus imperandi, qui sine illa nunquam poterit influere: ergo ex hoc euentu conditionato, si desit cogitatio ad actum non erit actus. Nihil potest inferri de influxu actus imperantis, quia hic euentus est necessarius, & generalis in quocumque casu.

28 Vires resumit ratio ex ipso exemplo, quod adducit Ripalda ad suam doctrinam confirmandam. Sepe quis precibus amicis præuentus, propriaque ratione motus rem facit, quam etiam si preces non existissent solum propria ratione

Francisc. de Ouedo Philosoph. Tom. II.

ductus faceret; sepe id facit precibus rogatus, quod à se numquam faceret, in utroque casu preces influunt, & in uno est verum dicere, si preces non existissent adhuc fieret res, ergo influxus precum non lumendus est ex his conditionatis euentibus, neque valet: hoc fieret si preces non existissent, ergo preces non influunt, licet bene iteratur, si preces non existissent, res non fieret: ergo preces in rem influunt: ergo eodem modo de imperio philosophandum est.

§. VI.

Propria sententia explicatur.

29 **P**lacet asserere influxum actus imperantis in imperatum situm esse in coexistentia actus imperantis potentis in actu primo influere in imperatum, & actus imperati potentis in actu primo ab imperato dependere, & in negatione alicuius dependentiæ imperantis ab imperato, ex vi cuius illius influxus possit impediri. Rem tene: Assero actum, quo ego dico volo elicere actum charitatis perfectæ erga Deum propter meam iustificationem consequendam, influere in actum amoris Dei, nihil aliud esse, quàm esse simul in voluntate actum amoris Dei directum, & actum reflexum imperantem ipsum amorem potentem in illum influere, ita ut eo ipso quod actus imperans potens influere imperatum coniungatur cum imperato necessariò sit prior illo, & in illum influat, ita ut suppositæ tali coexistentiæ aliter de potentia Dei absoluta contingere non possit. Dixi influxum consistere in coexistentia actus imperati cum actu imperante potente influere, neque vanè addidi particulam illam potens influere, non enim omnis actus reflexus, quo quis dicit, volo elicere actum misericordiæ, v.g. potest in ipsum actum directum influere: ad hoc enim ut actus reflexus possit influere in directum, requiritur ut nullo modo dependeat ab illo, quapropter si reflexus fuisset infusus ex præuisione directi in illum non posset influere, deinde ut actus imperans ex se non efficaciter possit influere in imperatum requiritur, ut potentia non solum sit potens, sed etiam libera ad talem imperatum, ac proinde actus imperans inefficaciter seu non efficaciter ex natura sua in consortio prædeterminationis vel cuiuscumque imperij efficacis libertatem ledentis influere non poterit, quod non habet imperium ex se efficaciter, quod etiam in consortio physice prædeterminationis influat in actum imperatum, quæ omnia sigillatim probabo. De actu imperante efficaci faciliè intelligitur conclusio tradita, cum enim semper actum efficacem imperantem actus sequatur imperatus, nihil prohibet in coexistentia utriusque influxum vnius in aliud constituere.

De aliis actibus imperantibus inefficaciter qui possunt esse sine actu imperato, non difficilius percipi potest mea sententia, quia licet actus imperans possit esse sine imperato, & in illum non influere, & actus imperatus sine imperato, & ab illo non dependere, non ex eo probatur posse actum imperantem & imperatum, simul coexistere, sine dependentia imperantis ab imperato, quin imperans in imperatum influat.

30 Conclusionem traditam probo. Positæ hac coexistentia actus imperantis independentis ab imperato, quolibet alio secluso superaddito rectè intelligitur, vnum actum ab alio dependere; ergo nihil aliud est necessarium ad hanc dependentiam, seu hunc influxum imperantis in imperatum constituendum. Antecedens probatur de ratione influxus non est entitas superaddita inter principium influens, & effectum, in quem principium influit: ergo ex hoc capite non requiritur entitas distincta ab imperato, & imperante, ut hic influat in alium. Deinde positis his duobus actibus rectè intelligitur in actu imperante aliquid propter quod constituatur per coexistentiam cum alio influens in illum, quod non sit in alio actu, videlicet esse actum reflexum respicientem alium tanquam obiectum, quod non reperitur in actu imperato, & aliquid reperitur in hoc, propter quod constituatur imperatus per coexistentiam cum imperante, videlicet esse actum directè respicientem suum obiectum, & non actum illum, à quo imperatur cuius tantum est obiectum: ergo positis his duobus actibus nihil requiritur, ut in actu secundo reflexus dicatur imperans, & directus imperatus.

31 Requiritur actum imperantem seu reflexum non dependere ab imperato ut sit prior illo, faciliè probatur, quia quantumvis imperans sit in actu primo prior imperato, si ex aliquo

aliquo capite per accidens sit illo posterior, quia Deus ex prævisione actus directi iam existentis ab aliis causis auxiliis contulit ad actum imperantem, vel illum infudit, vel prædefiniuit, non poterit esse in actu secundo prior illo, quia non potest esse simul prior, & posterior. Idem in causis Physicis contingit, ignis A virtutē habet ad producendum ignem B, si tamen ex aliquo capite sit posterior igne B, illum non poterit causare. Deinde imperium ex se non efficax requirere voluntatem indifferentem ut possit influere probatur. Influxus imperij inefficacis non est determinare voluntatem per se ipsum, sed inclinare voluntatem, ut ipsa se liberē determinet, ergo si voluntas non est potēs se determinare, non poterit illam inclinare ut se liberē determinet, neque aliquid influere. Quæ ratio est longē diuersa in imperio efficaci, cum enim illius influxus sit per se ipsum voluntatem determinare, & ad alteram partem contradictionis addicere, quantumvis illa sit determinata poterit illam iterum determinare, quia potest esse duplex prædeterminatio, & duplex impedimentum adæquatum ad eandem rem faciendam, vel non faciendam.

33 Ex his facillē distingues imperium tam actiuum, quā passiuum in actu primo ab ipso imperio in actu secundo seu influxu. Imperium actiuum per modum actus primi est entitas actus reflexi respicientis tanquam obiectum actum directum voluntatis. Imperium passiuum in actu primo seu posse imperari est actus potens determinare alium actum reflexum tendentem in ipsum. Dixi imperium in actu primo esse entitatem actus reflexi, quia actus imperans necessariō debet esse reflexus respiciens actum alium voluntatis, actus verō imperatus potest esse reflexus, & directus, actus enim reflexus alium imperans potest imperari alio actu quasi super reflectente respiciente tanquam obiectum ipsum actum reflexum, sicut enim voluntas dicit, volo elicere actum amoris, potest dicere, volo elicere actum quo velim elicere actum amoris, & hoc modo semel & iterum reflectere, & super reflectere, vocaui tamen sæpe actum imperatum directum, ut illum distinguerem ab imperante reflectente supra illum.

34 Influxus seu imperium tam actiuum quā passiuum, dicit coexistentiam imperij actiui & passiuī per modum actus primi, hoc est coexistentiam vtriusque actus. Neque influxus actiui & passiuī seu imperium actiuum & passiuum in actu secundo inter se distinguuntur realiter, quilibet enim dicit coexistentiam eorundem actuum: coexistentia autem eorundem actuum non potest esse diuersa, quia coexistentia ab actibus non distinguitur; unde si actus sunt iidē, & coexistentia eadem erit. Poterunt tamen imperium actiuum & passiuum distingui, etsi non realiter, ex modo concipiendi, & dici imperium actiuum actus imperans in recto connotans actum imperatum in obliquo, & imperium passiuum in actu secundo, actus imperatus in recto connotans actum imperantem in obliquo, & hac ratione rectē distinguuntur influxus actiui imperantis, & passiuī imperati. Hæc tamen distinctio, ut sæpē dixi, non est distinctio realis & physica, sed tantum intentionalis ex modo cognoscendi, quia obiectum in recto & obliquo significatum tantum dicit distinctionem ex parte cognitionis, non verō ex parte sui, realiter enim & à parte rei cognitione salua, non reperiuntur recta neque obliqua.

35 Ex his inferes cogitationem influere in actum, nihil aliud esse, quā esse simul cum actu, in quem potest influere, unde actus positius respiciens motuum charitatis non potest non dependere à cogitatione proponente tale motuum, quæ tali actu ex aliquo capite non est posterior. Rationem non incongruam conclusionis accipe. Cogitationem influere in actum, nihil aliud est quā voluntatem ferri in obiectum illuminatam cogitatione illud proponente, sed eo ipso quod cogitatio proponat obiectum, voluntas est illuminata tali cogitatione, circa obiectum: ergo si fertur in illud, fertur illuminata cogitatione: ergo cogitatio influit in actum.

36 Dices, voluntatem illuminatam cogitatione circa tale obiectum, posse ferri in illud, non ut illuminatam dependenter ab illuminatione, quod est ferri ex vi cognitionis, sed independentem ab illuminatione, & non ex vi illuminationis. Contrā: ferri ut illuminatam, nihil aliud est quā ipsam voluntatem, iam illuminatā ferri in obiectum, neque distingui potest ferri ut illuminatam & ferri iam illuminatam, neque voluntas, quæ illuminata fertur circa obiectum, potest non ferri ut illuminata, sicut ille qui sciens

rem esse malam, illam operatur, non potest non operari ex scientia malitiæ, neque qui videt viam, quam pergit, potest dici illam cæcē ambulare: nihil enim est operari ex scientia obiecti, quā operari cum scientia illius, neque amare ex cognitione, quā amare cum cognitione, alii possent quis habens cognitionem, quia liber constituitur ad peccandum: & non peccandum, dicere se non liberē peccare, quia etsi operetur peccatum cum cognitione, non illud ex cognitione operatur.

Hæc dixerim iuxta cōmunem opinionem, quæ non concedit influxum actiuum cognitioni respectu volitionis: si enim cognitio actiue volitionem produceret, actio media qua dependet, esset formalis ratio, propter quam constitueretur cognitio à volitione dependens. Hæc dicta sunt de actu positio, quæ postea applicabo actui negatiuo, seu omissioni liberæ, & ex doctrina tradita, illius dependentiam à cognitione explicabo Controv. 10.

S. VII.

Vberior probatio eiusdem sententia & argumentorum solutio.

Prima sit obiectio. Potest actus imperatus coniungi cum imperante, & non dependere ab illo: ergo dependentia non consistit in similitudine vtriusque actus. Antecedens probatur: potest dari duplex imperium respectu eiusdem actus, v. g. actus, quo quis dicit, volo elicere actum misericordie erga Petrum propter præmium consequendum misericordie respondens, & alius actus quo dicit, volo elicere actum misericordie erga Petrum propter Deum amandum, & voluntas talem actum misericordie elicere mota imperio respiciente Deum ut amandum, & non ex imperio respiciente præmium consequendum, vel contra elicere ex imperio respiciente dictum præmium obtinendum, & non ex imperio respiciente Deum diligendum: vel talem actum elicere ex vtroque imperio adæquate, & ex illorum quolibet inadæquate: vel ex quocūque adæquate, & in his diuersis influxibus, semper erit eadem cōiunctio actus potentis imperari cum actibus potentibus imperari: ergo influxus imperantis in imperatum non consistit in similitudine vtriusque actus. Hoc argumentum totam fore difficultatem huius materie cōtinet, illud ad amicum tractabo. Procedere non potest difficultas, casu quo vnum imperium esset efficax, & aliud inefficax, quia tunc inefficax nihil influeret iuxta suprà dicta: locū habebit si vtrumque imperium efficax ponatur, vel vtrumque inefficax: dicam modò quid si vtrumque imperium inefficax sit: & dicam postea quid si vtrumque efficax ponatur.

Resp. positis duobus imperiis vtroque inefficaci circa eundem actum imperatum potentem procedere à quocūque illorum necessariō procedere adæquate ab vtroque simul & inadæquate à quolibet illorum, neque in modo influendi posse dari diuersitatem si non sit in coexistentia actui imperantium cum actu imperato. Ratio huius doctrinæ est illa, quam dedi conclusionis, quam defendo videlicet influxum consistere in similitudine imperantis cum imperato, quapropter si plures actus imperantes actu imperato coexistunt, plures in illum influere necesse est.

Instabis, positis duobus actibus imperantibus inefficacibus simul cum imperato, potest Deus cognoscere, quod si hic actus imperatus permaneret, & alter auferretur, subsisteret actus imperatus: & si ille permaneret, & hic auferretur, actus imperatus non subsisteret: ergo diuerso modo dependet actus imperatus ab hoc imperio, quā ab illo. Probo consequentiam: quando positus duobus causis physicis, ita existit effectus, ut vna ablata, alia superstitē idem remanet, effectus adæquate dependet ab illa, quæ sine consortio alterius effectum sustineat, quando verō ablata vna causa, & permanente alia effectus non remanet, rectē inferitur effectum non dependisse ab illa eodem modo ac dependebat ab ea, qua permanente sine consortio alterius effectus subsisteret: sed hoc potest contingere, positis duobus imperiis sufficientibus influere in actum imperatum: ergo diuerso modo effectus potest ab illis dependere.

Respondeo posse Deum cognoscere actum imperatum permanens permanente hoc actu imperante sine illo, & non permanens permanente illo actu imperante sine isto, ex quo inferitur illos diuerso modo influere, causa quo seorsim alter sine altero poneretur, non tamen ex hoc probatur, de facto diuerso modo influere, cum simul ponantur.

hantur in voluntate; in physicis enim plures causæ, quæ sine consortio aliarum nihil influerent in effectum, si cum aliis coniunguntur, inadæquatè influunt, & plures quæ adæquatè influerent, si alia concassæ ipsarum non adungerentur, inadæquatè influunt, si cum aliis coniunguntur. En exemplum causarum physicarum, non pro te, sed in te militat: volo tamen explicare differentiam inter causas physicas, producentes mediâ actione, & morales per imperium tantum influentes, ut clarius solutio pateat.

42 Quando duæ causæ physice influunt in effectum quarum quilibet totum illum potest producere: verbi gratiâ, duo ignes in calorem ut quatuor, & vno igne semoto, & alio permanente permaneret effectus, videndum est, an effectus permaneat existens ex vi eiusdem causalitatis, quâ antea dependebat ab illo igne, vel ex alia: si permanet existens ex vi eiusdem causalitatis, certum est antea adæquatè influxisse sicuti modò influunt, quod si effectus permanet existens ex vi aliâs causalitatis, dicendum est modò ignem adæquatè influere, & antea influxisse. Alio modo philosophandum est quando semoto hoc igne & alio permanente, effectus non permanet, tunc enim licet inferre ignem superstitem non adæquatè influxisse in effectum, quia si adæquatè influxisset indeper ab alio, illo ablato, eodem modo influeret; non tamen licet inferre non influxisse inadæquatè, quia forsitan ita influeret, & modò non influunt, quia id, quod præstare poterat alio igne adiutus, non potest illius adiuvamine destitutus exercere.

43 Hæc in causis physicis; in his verò causis moralibus, in quibus nulla est mediâ actio interiecta, non ita clarè potest res exponi; verumtamen proportionali modo locum habet doctrina de causis physicis suprà tradita. Dixi causalitatem componi ex actu primo imperante, & actu secundo, actu videlicet imperato; ex qua doctrina potest responderi actum imperatum, qui modò coexistit duobus actibus imperantibus, casu quo permaneret, vno actu imperante permanente, & altero secluso non permanens ex vi eiusdem causalitatis, sed ex vi aliâs, quia coexistentia actus imperati cum imperio in actu primo non esset eadem, quia modò coexistit duobus actibus imperantibus, & tunc vni tantum coexistit, & coexistentia variat, causalitatem eandem cum illa variari necesse est. Quando actus imperatus coexistit duobus imperiis ut hoc deficiente, alij non coexistere, tunc tantum licet inferri illum alium, cui soli non coexistere, de facto adæquatè non influere, ut dixi de causis physicis.

44 Ex dictis ad formam argumenti facilis est solutio. Actus imperatus coexistens duobus imperiis, vni tantum coexistens adæquatè dependeret ab illo; distinguo antecedens; dependeret adæquatè per eandem causalitatem, per quam modò dependet, nego; per aliam, transcat; sed tunc dependeret adæquatè, distinguo minorem: per eandem causalitatem, per quam modò dependet, nego minorem; per aliam, transcat: ergo modò pendet adæquatè, nego consequentiam. Ad aliud argumentum huic affine, vel ad aliam partem eiusdem argumenti, sic in forma responde: Actus imperatus coexistens duobus actibus imperantibus non coexistere huic, si ille abesset, concedo antecedens: ergo modò non dependet ab hoc, distinguo consequens: ergo non dependet modò ab hoc adæquatè, concedo consequentiam: ergo non dependet inadæquatè, nego consequentiam. Si argumentum ita proponatur: Actus imperatus coexistens modò duplici imperanti coexistere, & dependeret ab hoc si ille auferretur, & non coexistere illi si auferretur iste: ergo diverso modo dependet modò ab hoc quàm ab illo: sic in forma respondebis. Actus imperatus coexistens duobus imperantibus coexistere huic, & ab illo dependeret illo deficiente, distinguo hanc partem: per eandem causalitatem, per quam modò dependet, nego hanc partem antecedentis: per diversam, concedo; & non coexistere illi, neque ab illo dependeret isto deficiente, concedo hanc partem: ergo diverso modo dependet modò, nego consequentiam; calidum enim ut quatuor modò dependens à calido ut fex & à calido ut duo, semoto calido, ut duo, dependeret à calido ut fex adæquatè, & semoto calido ut fex, nullo modo dependeret à calido ut duo, nilominus de facto ab utroque seorsum sumpto nunc inadæquatè, & eodem modo dependet.

45 Obicies: Hic actus imperatus modò coexistens actui imperato est adæquatè imperans: ergo etiam alius actus

imperans huic adiungatur, permanebit adæquatè imperans. Probatur consequentia: causalitas imperantis in imperatum erat coexistentia imperantis cum imperato: permanet eadem coexistentia: ergo permanet eadem causalitas; ergo si antè actus imperans, cum erat solus adæquatè imperabat, postea alij adiunctus adæquatè imperabit. Respondeo concessio primo antecedenti, negando consequentiam. Ad confirmationem respondeo cum distinctione primi antecedentis. Causalitas est coexistentia imperantis cum imperato, distinguo; causalitas adæquata vel inadæquata; concedo antecedens; causalitas adæquata, subdividuo: coexistentia actus imperati cum omni imperanti cui coexistit, concedo antecedens; cum aliquo imperanti cui coexistit simul cum alio, nego. Causalitas enim adæquata huius imperantis respectu imperati dicit existentiam imperantis cum negatione aliâs, unde eo ipso quod tunc imperanti aliud adiungatur, etiam si antea fuisset imperans adæquatè, constituitur inadæquatè imperans, quia adæquata causalitas dicit totum id, quod ex parte actus primi potest imperari.

46 Desiderabis rationem cur in consortio aliâs actus imperantis non possit vnus sufficiens imperare adæquatè, licet ex se non efficax esset causa adæquata; ita ut si alius actus imperans causet effectum, id faciat per aliam adæquatam causalitatem; & de facto actus imperatus à duobus imperantibus adæquatè dependeat, ita ut vnus actus imperans sit tota causalitas se tenens ex parte actus primi, & alius imperans nihil influat de facto. Dignissimo dubio satisfaciam, & illius solutione totam doctrinam traditam confirmabo, illiusque fundamenta profundè præiacta clarè monstrabo. Attente lege. Rebus omnino eodem modo se habentibus nullâ superadditâ, neque ablata euitate reali, neque modali, idem est influxus causæ in effectum: sed quotiescumque actus imperatus coexistit duobus imperantibus, res eodem modo se habent: ergo idem est influxus imperantium in imperatum. Consequentia perfectum claudit syllogismum. Maior est per se nota: Minorem ostendo. Posito actu imperato coexistenti duobus imperantibus, tantum est in rerum natura entitas intrinseca actus imperati, & entitates imperantium, neque aliquid superadditum inuenies pertinens ad influxum imperantium, & imperatum: ergo res omnino sunt immutata: ergo influxus semper est idem. Ex hoc consequenti legitime illato sic arguo. Posito actu imperato coexistenti duobus imperantibus semper dependet eodem modo ab illis: ergo semper dependet à quolibet adæquatè, vel semper ab vno adæquatè, & nullo modo ab alio, vel semper à quolibet inadæquatè, & ab utroque adæquatè. Sed non potest semper dependere à quolibet, neque ab altero adæquatè, ergo semper dependet à quolibet inadæquatè, & ab utroque adæquatè. Minorem proba, reliqua per se patent. Posito actu imperato coexistente duobus imperantibus potest Deus cognoscere, si non coexistere uterque, quod actus imperans ex vi vnus non esset actus imperatus, quia voluntas quæ duplici imperio mouetur potest vnico tantum non moueri: ergo actus imperatus non semper procedit adæquatè ab altero imperante. Consequentia est legitima, quia actus adæquatè imperans effectum sortitur, alio imperio secluso: ergo quotiescumque res eodem modo se habent, nullus actus imperans in consortio alterius adæquatè imperat: ergo, semper uterque simul adæquatè imperat. Meditator discursum factum, quem iustum, & vndique plenum esse iudico.

47 Reclamabis, posito actu imperato coexistenti duobus imperantibus ex se non efficacibus res se habere eodem modo physice non tamen moraliter. Facile te fugientem apprehendâ. Res se habent eodem modo physice: ergo, & moraliter. Probo consequentiam: moralitas refurgit ex entitate physica, sed nulla est noua entitas physica, ergo nulla est noua moralitas: ergo si res se habent eodem modo physice, eodem modo se habebunt moraliter. Dices res se habere diverso modo moraliter, quia voluntas mouetur ex hoc imperio & non ex illo. Aculeum non sentis. Quid est hoc quod est moueri ex hoc imperio, & non ex illo? Respondes esse fieri actum imperatum dependenter ab hoc imperio & non ab illo. Pedem non moues: quid datur in rerum natura propter quod voluntas moueatur ad actum imperatum potius ex hoc imperio, quàm ex illo, & propter quod actus imperatus dependeat

ab hoc imperio & non ab illo. Ad veritates conditionatas confugis, multum retrocedis: has enim abunde impugnaui, certè nihil inuenies: fatere ergo nobiscum non posse non actum imperatum coexistentem duobus imperiis ab utroque simul adequatè & à quolibet inadæquatè dependere.

48 Obiic. Actus ex se non efficax quando coniungitur cum actu imperato positā negatione alijs imperantis, non magis influit, ac quando simul coniungitur cum alio coimperante, & cum imperato: ergo si influit adequatè quando est cum negatione alijs coimperantis, influet eodem modo quando ille alius actus imperans adiungitur. Antecedens probatur: Quando est negatio alijs imperantis, ipse influit per suam entitatem tantum, & non per negationē alterius, & illius influxus non distinguitur ab ipso imperante & imperato, ad quem constituendum negatio non conducit: sed idem actus imperatus est quando coniungitur illis alius actus imperans: ergo si antea ex hoc actu imperante & imperato constituebatur influxus adequatus, postea eisdem permanentibus idem influxus constituetur.

49 Resp. eundem influxum præstare huic actu imperantem respectu huius imperati, quando est cum negatione alijs imperantis & quando est cum alio imperante, nihilominus quando est cum negatione alijs imperantis dicitur influxus adequatus; & quando est cum alio imperante dicitur influxus inadæquatus, sicut eadem aqua quando est vnica alteri dicitur aqua inadæquata, licet negatio non illam constituat in ratione aque.

50 Obiic. In physicis actio, quæ semel est adequatus influxus non potest fieri ex consortio alijs actionis influxus inadæquatus: ergo neque imperium, quod semel est adequatus influxus, potest fieri influxus inadæquatus. Ratione deinde idem euincitur: influxus adequatus est ille qui ex se sufficiens est independenter ab alio, ut ex vi illius effectus existentiam habeat; & influxus inadæquatus est ille vi cuius effectus existentiam habere nequit, alio non adiuvante: ergo influxus ex vi cuius, omni alio secluso, effectus semel existentiam habet, semper est influxus adequatus, quia semper ex vi eiusdem illam habere potest.

51 Ad rationem respondeo, & simul disparitatem reddo inter influxum consistentem in actione, & influxum actus imperantis ex se non efficacis. Dico influxum physicum vel ex se necessariò connexum cum effectu prout distinctum ab illo esse illum, ex vi cuius esse potest effectus alio quocumque secluso; influxus verò actus imperantis, etiam si sufficiens sit ut ex vi illius possit esse effectus, non ideo est adequatus influxus, quia cum possit coniungi cum negatione effectus, & ex vi illius non esse effectus, potest similiter non esse effectus adequatè ex vi eiusdem; si enim sufficientia ut ex vi illius ponatur effectus non arguit de facto poni minus, arguet adequatè poni ex vi eiusdem. Secundò cum influens iste actus imperantis in imperatum necessarius non sit ad existentiam imperati, sed sine illo posset esse actus imperatus, quilibet influxus quantumvis minimus sufficiens erit, ut adequatè imperat existentiam, quæ sine imperio poterat esse, unde non potest cognosci adequatio vel inadæquatio influxus imperantis in imperatum ex sufficientia, quam habeat, ut ex vi illius sit actus imperatus; consistit enim influxum esse adequatum in eo quod est voluntatem de facto pro sua libertate moueri adequatè ex vi illius, moueri autem liberè ex vi imperij nihil aliud est, quam ipsam præuentam hoc vel his imperantibus moueri, & ex vi illorum adequatè moueri dicitur, quibus de facto mouetur.

52 Hæc de duplici imperio inefficaci simul eundem actum imperatum imperantis; si verò verumque imperium sit ex se efficax, facilius soluitur questio, tunc enim affirmo ex vi vniuscuiusque adequatè moueri, quia quocumque posito, altero secluso, necessariò existit actus imperatus, & cum influxus actum ex se efficaciter imperantium necessarius sit, ut posita probabo, valet consequentia: quodlibet imperium efficax independenter ab alio valet efficaciter imperare: ergo quodlibet efficaciter imperat, quia causa necessariò influens semper influit totum id quod potest. Similiter si imperium efficax coniungatur cum physica prædeterminatione, actus erit adequatè prædeterminatus ab imperio, & adequatè à physica prædeterminatione, quia non repugnat actum esse necessarium ex duplici capite, & cum tam physica prædeterminatio, quam actus efficaciter imperans ex se necessitatem inducant, actus imperati illam

semper inducent, & ex potentia ad actum valebit consequentia, quæ non valet in actibus imperantibus ex se non efficacibus, quia exercitium potentia illorum est dependens à libertate voluntatis potentis illam ad actum reducere vel non reddere.

Obiicies. Intentio efficax non determinat ad amorem medijs seu ad electionem, quando medium supponitur existens: ergo imperium efficax non determinabit ad actum imperatum, quando iam actus imperans supponitur existens. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam: est enim longè dispar ratio, quia intentio efficax per se non determinat ad electionem immediate, sed ad existentiam medijs quam exigit, & mediatè, & quasi consequenter ad id, quod necessarium est ad talem existentiam medijs, unde si electio necessaria sit, determinabit ad illam: si verò electio necessaria non sit ut medium existat, de illa non curabit intentio, imperium verò ex se efficax immediate determinat ad actum imperatum, & semper connectitur cum illo, sicut intentio connectitur cum medio, quod per se exigit.

Obiicies contra id, quod diximus posito imperio inefficaci, seu physica prædeterminatione imperium inefficax nihil posse influere: Posita physica prædeterminatione ad amorem, cognitio ex se ad illum liberè inclinans poterit influere in actum amoris: ergo posita eadem prædeterminatione imperium inefficax ex se liberè inclinans ad amorem poterit influere in illum. Respondeo disparitatem rationem, quia cogitatio inclinans ad amorem simpliciter requiritur ad actum amoris, & sine illa physica prædeterminatione effectum fortiri nequit, secus sine imperio quod non requiritur ad amorem. Deinde cogitatio inclinans ad amorem ex se non inclinatur liberè, non enim illius influxus libertatem supponit, neque constituit, imò potius cogitatio inclinans ad amorem ex se necessitatem inducet, si alia retrahens, illam non coëxerceret, ablata enim cogitatione retrahente ex vi illius cogitationis amor ab ipso vlla indifferencia necessariò procedet à voluntate, imperium verò inefficax ex se supponit libertatè, est enim illius propriū munus voluntatè allicere, ut ipsa se liberè determinet.

Obiic. Actus imperans, quando est sine alio imperante influit adequatè in imperatum: ergo eodem modo influit in consortio alterius imperantis. Probo consequentiam: Actus imperans non influit per negationem alterius, sed per suammet entitatem, & coexistentiam imperati: ergo non maiorem exhibet influxum, quando est cum negatione alterius imperantis, ac quando est cum alio imperante: ergo si quando est cum negatione exhibet influxum adequatum, eundem adequatum influxum exhibebit, quando est cum alio imperante. Verge & confirmo argumentum: Influxus in mea sententia, nihil aliud est quam entitas imperantis, & imperati: sed eadem entitas seu eadem coexistentia est huius imperantis cum imperato altero imperante, existente vel non existente; ergo idem est influxus huius imperantis cum imperato, altero imperante existente, vel non existente; ergo si altero non existente hic actus imperans influit adequatè, etiam altero existente adequatè influit.

Respondeo actum imperantem non influere per negationem alterius, sed præcisè per suam entitatem coexistentem actui imperato, & similiter concedo quod rectè inferret argumentum, eundem esse influxum huius imperantis cum imperato, altero imperante existente vel non existente; nego tamen vltimam consequentiam in qua inferret influxum fore adequatum altero imperante existente, ex eo quod idemmet esset adequatus altero non existente; aliud enim est influxum esse eundem, aliud verò esse eodem modo adequatum, quia idemmet influxus cum negatione alterius adequatus dicitur & in consortio illius dicitur inadæquatus, sicut eademmet aqua cum negatione vnionis ad aliam aquam dicitur aqua adequata, & totum adequatum, & eademmet inadæquata dicitur, si illi superueniat vnio alterius aque.

Instabis influxus imperantis qui est in consortio alijs imperantis est idemmet ac erat antea: ergo ex se sufficiens est ut sit influxus adequatus: ergo altero influxu superueniente eandem adæquationem retinebit. Probo consequentiam, Actio ex se sufficiens, ut si influxus adequatus, influxus adequatus remanet, & iam illi coniungatur altera actio terminata ad eundem effectum: ergo si etiam hinc influxui imperantis sufficienti ex se ponere effectum scilicet actum

actum imperatum, alius influxus adiungatur; influxus adequatus permanebit, influxus enim, qui semel est adequatus, non potest non semper esse adequatus altero adueniente, vel non adueniente.

58 Respondeo influxum huius imperantis semper esse eundem alio adueniente, vel non adueniente, & cum negatione alterius influxum adequatum dici, non tamen esse sufficientem dici adequatum in consortio alterius influxus propter rationem dictam. Ad exemplum ex actione seu influxu physico petito. Respondeo disparem esse rationem, quia influxus physicus propter distinctum ab effectu habet necessariam connexionem cum illo & influit secundum totum id quod potest independenter à libertate effectus, influxus vero moralis in actum liberum, qualis est imperantis in imperatum, effectum secluso nullam connexionem habet cum illo & quicquid effectum producit potest coniungi cum negatione illius. Vnde non inferitur, hic imperans sufficiens est ut sit influxus adequatus, ergo de facto influit, quia posito imperante potest imperatum non esse. Vnde minus inferetur, ex se est sufficiens ergo adequatus influit, habet enim totum suum influxum dependentem à libertate actus imperantis. Vnde ex sufficientia ad influendum, seu ex sufficientia ut sit influxus non potest inferri talem esse de facto, sed talis dicitur, quando voluntas de facto imperante existente elicit imperatum, & ex vi illius imperantis dicitur imperatum existere, cum quo voluntas fuerit praesentia, quando talem elicit imperatum. Vnde si tantum unicum imperantem habuerit, quantumvis remissus ille sit, erit adequatus respectu imperati, cum enim ad existentiam huius nullus actus imperans requiratur, quilibet est sufficiens, ut sit imperatus, si vero plures imperantes imperato coexistant, ex omnibus fiet unicus influxus adequatus imperantium in imperatum, non enim influxus adequatus dicitur respectu imperantis qui sufficiens est ponere effectum, sed totus ille ex vi cuius effectus ponitur propter differentias assignatas inter influxum physicum & moralem in actum liberum: Erit tamen eadem ratio in influxu morali inferente necessario effectum, quia influxus necessario connexus cum effectu, siue physicus, siue moralis distinctus, vel indistinctus ab actu primo semper influit secundum totum id quod potest. Vnde respondetur; hic influxus est sufficiens ex se adequatus ponere effectum: ergo ponit: & ob hanc rationem dixi positus duobus imperantibus efficacibus ex se quemlibet adequatus influere in imperatum permanentem ex vi cuiuscumque altero secluso.

59 Obiicies. Potest esse imperium in voluntate quo dicat, exerce actum misericordiae cum Petro, ut à te illius miseria subleuata possit Petrus Matriti commodè viuere, & alius actus imperij, quo dicat voluntas, exerce actum misericordiae cum Petro, ut à te illius miseria subleuata possit Romā petere beneficii obtinendi causa: qui duo actus fines impossibiles respiciunt, videlicet Matriti permanere, & Romam petere: ergo si actus imperatus dependet ab utroque fieret propter fines impossibiles: sed nullus actus potest fieri propter fines impossibiles: ergo actus misericordiae non potest ex his duobus imperiis procedere. Huic argumento responderi Ripalda disp. 67. citata n. 20. eundem actum rectè posse fieri propter duos fines extrinsecos inefficaciter intentos, si enim non repugnat intendi uterque finis oppositus, cur repugnat ex illis effectus procedere, qui non per se immediatè & intrinsecè fines respicit, sed mediis actibus à quibus procedit. Actus enim misericordiae ex quocumque motiuo fiat semper respicit tantum intrinsecè motiuum misericordiae, & extrinsecè medio actu imperante, motiuum quod respicit intrinsecè idem actus imperans.

60 Obiice. Actus imperatus coexistens duplici imperanti ab utroque procedit: ergo si coexistat actui imperanti honesto, & actui turpi ab utroque procedit: ergo ab vno imperio trahet bonitatem, & malitiam ab alio. Respondeo eandem esse difficultatem de actione externa imperata à duplici actu voluntatis altero turpi, & honesto alio, cui respondeo, non fore bonam & malam à principiis, à quibus tantum traheret malitiam, quia etiam si ab vno imperio posset trahere bonitatem, illam de facto non trahit, quia vitatur ratione alijs compingit, boni enim debet esse ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu, vnde effectus procedens à quodam actu honesto, & ab alio malo, malus & non bonus euadit ratione principij.

Hæc dixi ex suppositione, quod actus imperans malitiam & bonitatem deriuat in alium actum voluntatis per se liberum, quod multi negant; legatur Vasquez. 2. disp. 51. Suar. 2. lib. de voluntario & inuoluntario disput. 8. sect. 1. Ripalda disp. 65. apud quos plures citatos reperies disputantes de hac materia, cui ego supersedeo, quia non Philosophica est, sed Theologica. Neque definitio an actus moraliter malus possit imperare actum charitatis, de quo praedicti Auctores locis citatis, vnum tantum affirmo, quolibet actum ex se potente alium imperare, de facto suū exercere imperiū per coexistentiā cum illo, modo supra explicato.

Hæc omnia proportionali modo locum habent in influxu cognitionis respectu actus voluntatis, est enim questio an cognitio naturalis possit determinare voluntatem ad actum supernaturalem, cuius pars affirmans, vel negans ad resolutionem huius questionis nihil conducit, in qua tantum definitio omnem cognitionem potentem determinare ad actum voluntatis, ad illum de facto determinare per coexistentiā ipsius cognitionis, & actus, ad quem potest determinare, & plures cognitiones eidem actui voluntatis coexistentes, quæ possunt ad illum determinare per modum vnius, omnes adequatè, & illarum quamlibet inadæquatè, iuxta dicta de actibus imperantibus respectu actus imperati.

Obiice. Potest voluntas amare bonitatem alicuius obiecti ex vi vnius cognitionis, & postea illi aduenire alia cognitio eiusdem bonitatis posterior amore ad quem posset determinare cui coexistit, & non illum de terminauit, ergo coexistentiā non est necessariò determinatio. Respondeo talem cognitionem superuenientem posse esse posteriorem tempore, vel naturā. Si sit posterior tempore, illa cognitio non determinauit ad productionem amoris, quia in instanti in quo amor fuit productus illi non coexistebat, determinabit tamen ad conseruationem illius in instanti, in quo coexistet tali amor. Si sit posterior natura, dum hanc habeat posterioritatem non determinabit ad actum amoris, quia iam dixi influxū actus imperantis in imperatum, & cognitionis in actū voluntatis, dicere negatione dependentiæ actus imperantis ab imperato & cognitionis à volitione.

Obiicies. Potest voluntas habere actum efficacem quo dicat nolo elicere actum charitatis imperatū ab actu poenitentiae, seu quodidem est, nolo elicere actum charitatis dependentem extrinsecè ex motiuo poenitentiae, seu extrinsecè respicientē motiuum poenitentiae. Sed cum hoc actu non fiat, actum charitatis ab eadem voluntate esse imperatum ab actu poenitentiae, seu dependere ex motiuo poenitentiae, illudve extrinsecè respiciens: ergo stante hoc actu, etiam si coexistant actus poenitentiae potens imperare actum charitatis, & charitatis potens imperari ab illo in actu secundo actus poenitentiae non imperabit actum charitatis, neque hic ab illo dependebit illius motiuum extrinsecè respiciens, neque à tali motiuo dependebit.

Possem totum, quod argumentum intendit admittere, & adhuc mea conclusio integra permaneret. Si enim actus ille, quo voluntas diceret nolo elicere actum charitatis dependentem ab actu poenitentiae, seu ab illo imperatum impedimentum esset, quo minus actus charitatis posset imperari ab actu poenitentiae, iam non daretur actus poenitentiae in actu primo potens imperare, seu expeditum ad imperandum, & actus charitatis potens imperari, ac proinde non esset contra meam conclusionem asserere illorū coexistentiā non esse influxū imperantis in imperatum, hanc enim non ego constituo in quacumque coexistentiā, sed in coexistentiā actuū, quomodocumque existentium, sed in coexistentiā actus imperantis proximè expediti, & in actu primo constituti omni impedimento secluso ad imperandum, & actus eadem ratione potentes imperari.

Aliter respondeo, actum illum, quo voluntas dicat nolo elicere actum charitatis dependentem ab imperio poenitentiae posse esse efficacem ad impediendam hanc dependentiam, si efficax sit ad impediendum alterum ex duobus actibus nempe actum poenitentiae imperantem, vel actum charitatis imperandum, nam altero destructo destruitur coexistentiā vtriusque, in qua imperium consistit. Si vero hæc efficaciam non habeat, sed admittat secum actum poenitentiae imperantem actum charitatis, & ipsum actum charitatis inter se coexistentes non posse esse efficacē ad impediendam dependentiam vnius ab altero, sed quantumvis ardentem voluntas dependentiam hanc impedire intendat, talis intentio efficax in affectu permanebit, non tamen

efficax

efficax in effectu. Ratio est facilis, voluntas libera est ad eliciendum hunc actum, vel non eliciendum, non tamen libera est ad eliciendum hunc actum dependentem ab his solum principiis, & non ab aliis, quæ de facto habet, sed eo ipso, quod illum libere eliciat actus necessario dependet ab omnibus principiis potentibus influere in actum, quibus de facto voluntas est præuenta. Nec quando voluntas habet principia naturalia ex se sufficientia ad producendum actum naturalem circa hoc formale obiectum, & supernaturalia, quibus potest tendere actu supernaturali circa idem obiectum formale liberum est voluntati producere actum naturalem ex principiis purè naturalibus circa illud obiectum, & non supernaturalem circa idem obiectum ex principiis supernaturalibus, sed tantum illi liberum est tendere in tale obiectum, in quod si libere tendat necessario tendet ex vi omnium principiorum, à quibus tendentia in tale obiectum potest procedere, ac proinde ex vi tendentiæ supernaturalis ita talis tendentia supernaturalis euadet. Exemplum esto. Voluntas potest sine habitu charitatis elicere actum naturalem dilectionis Dei, si habitu charitatis præueniatur non poterit independentem ab illo dilectionem elicere, sed si eam eliciat, ab habitu charitatis dilectio procedet, & ita erit supernaturalis. Eadem ratione voluntas poterit elicere actum charitatis sine imperio, si tamen imperium habeat non poterit illum elicere non dependens ab imperio, etsi absolute possit illum omittre.

67 Instant RR. liberum est voluntati dilectionem elicere, vel non elicere ex motu extrinseco poenitentiae: ergo liberum erit voluntati illam elicere, vel non elicere dependentem ab imperio poenitentiae. Resp. eatenus fore liberum elicere, vel non elicere actum charitatis ex motu extrinseco poenitentiae quatenus illi erit liberum habere imperium charitatis respiciens motuum poenitentiae, hoc tamen supposito illi non esse liberum, ut in actum charitatis, quem libere, vel necessario elicit deriuatur motuum extrinsecum poenitentiae: motui enim extrinseco tantum sunt libera quatenus liber est actus respiciens motuum extrinsecum respectu illius, quod respectu alius actus extrinsecum dicitur, vel quatenus est liber actus qui extrinsece efficiendus est motui intrinseco alterius, supposito verò actu, ex quo motuum extrinsece in alium deriuandum est, & actu, in quem tale motuum est extrinsece deriuandum, quod deriuatur, vel non deriuatur non cadit sub obiectum liberum voluntatis.

68 RR. quidam, qui hanc meam sententiam impugnandam susceperunt nihil in Philosophia inuenientes, quo id possent præstare ad Theologiam recurrere arguentes sic: sequeretur ex eo quod influxus actus imperantis consisteret in coexistentia vtriusque actus peccare hominem, qui cum haberet motum inefficacem voluntatis indeliberatum circa pollutionem, vel deliberatum licitum ex affectu sanitate, & cognosceret equitationem posse conducere ad pollutionem, & equitationem tunc intenderet ex motu honesto tunc peccare, quia tunc volitio equitandi respiceret tanquam motuum extrinsecum pollutionem, & ita esset propter pollutionem, elicere verò actionem externam propter pollutionem habendam seu ex motu intrinseco pollutionis intrinsece illicitum, est peccatum.

69 Ne philosophici termini Theologicis impediatur in primis respondeo: obiectionem hanc omnino alienam esse à materia quam disputamus, nam argumentum non procedit de actu imperante reflexo, qui debet respicere tanquam obiectum materiale alium actum voluntatis imperatum, affectus enim pollutionis, & volitio equitationis sunt actus directi, quorum vnus non reflectit circa alium, & ita non potest dici vnus imperans, & alius imperatus, esto vnus possit ad alium conducere, hic non agimus de omnibus actibus, quibus vnus ad alium possit conducere, sed de actibus, quorum vnus est formalis volitio alterius, & supra alterum reflectens, qui imperium dicitur illius, supra quem reflectitur. Hoc sufficit ut Philosophus argumentum istud non admittat, & sententiam traditam absolute impugnatione teneatur.

70 Theologus vero ex multis capitibus prædictum argumentum potest reticere, si enim affectus inefficax circa pollutionem malus non est, vel quia non est liber, vel quia si liber est inefficax est, & ex motu honesto quomodo malitiam deriuare poterit in affectum equitandi elicitum ex motu intrinseco honesto. Nec refert, si voluntas

affectus sit respectu equitationis, & alias respiciat tanquam motuum extrinsecum pollutionem, nam si hæc non retineat malitiam in actu inefficacem intrinsece, & immediate respicientem illum multo minus illum valebit retinere in alium actum, quem tantum medio isto, & extrinsece afficit, id enim, quod respicit effectum remotum extensum solum, & eo tantum modo influit in illum quatenus influit in proximum. Nec refert affectum equitationis esse efficacem, quia efficax non est respectu pollutionis, sed respectu equitationis. Ad hæc doctrinam conduci, quod trado i. tract. 4. Contr. 7. P. 1. n. 22. videlicet actum intrinsece honestum ex suo formali obiecto procedentem ab imperio inefficaci illicito suam intrinsecam bonitatem retinere, & nullam malitiam formalem immediatè illi inhærentem contrahere, sed tantum mediatam deriuatam ab imperante eo modo, quo talis malitia immediatè imperanti conueniat.

Deinde dici potest in duobus illis actibus directis in argumento adductis non reperiri influxum vnus in alium quod est iuxta dicta Controv. 9. de anima Punct. 3. vbi electiones materiales non admitto. Deinde etiam dicatur vnus ex illis actibus in alium influere, dici poterit illum, in quem alter influit non respicere adhuc extrinsece motuum influentis, neque ab illo bonitatem, aut malitiam deriuatam participare, quia habet suam propriam libertatem immediatam distinctam à libertate influentis. Neque ego dum assero actum imperantem elicitum ex motu poenitentiae influere in actum charitatis defendendum suscipio dicendum esse, actum charitatis extrinsece respicere poenitentiae motuum, hoc enim ad loquendi modum pertinet, & facile quique vtrumlibet poterit asserere, & neutrum efficaciter probare, aut impugnare, sed tantum defendere, actum charitatis dependere tanquam à principio, etsi non necessario ab actu poenitentiae illum imperante. Minus hic curo, an actus inefficax alium imperans in alium suam bonitatem, aut malitiam deriuat, hoc enim ad Philosophum non pertinet, & dum Theologus agens in hanc questionem incidi i. 2. tractat. 4. Controv. 3. Punct. 8. num. 88. & Controv. 7. Punct. 1. num. 7. neutrum posse efficaciter probari, aut impugnari defendi.

De dependentia puræ omissionis à cognitionibus illi coexistentibus, & motiuis per cognitionem propositis idem iudicium fero Controv. 10. Punct. 1. S. 4. num. 34. & 35. ad influxum actum imperantem in imperatum, & sicuti assero, actum potentem imperari de facto dependere ab omnibus actibus coexistentibus, qui illum possunt imperare, eodem modo assero puram omissionem de facto dependere ab omnibus cognitionibus illi coexistentibus, & ab omnibus motiuis propositis, à quibus potest dependere. Assero ibi num. 32. omissionem non posse dependere à motu quod voluntas detestatur, seu de quo displicet. Exemplum esto proponitur omisso misse, ut vtilis ad ludum, & ad studium, & voluntas displicentiam habet circa studium, tunc si voluntas omittat, omisso dependere non poterit à motu ludi, quia obiectum, quod displicet, non potest voluntatem mouere ad ponenda media, quibus consequatur, sed quibus eueratur.

Nonnulli hanc doctrinam voluerunt etiam applicare ad actus imperantes, asserentes actum illum imperantem, de cuius motu displiceat, voluntas in imperatum non influit. In hac tamen materia locum non habet hæc doctrina, quia dum actus imperans existit certum est voluntatem non displicere, quia ut dicebam num. 31. citato voluntas non potest de eodem formali obiecto placere, etiam si vnus, vel uterque actus inefficax dicatur. Deinde, quia cum per puram omissionem affectus circa motuum sit interpretatiuus locum non habet interpretatio, dum voluntas positiue displicet de obiecto, actus enim imperans cum positiue intrinsece, & expresse sit tendentia in obiectum, dum actus existit non potest non ex vi illius tale obiectum placere, quantumuis alius actus quicumque sit illum actum imperantem committeretur.